

Series Alphabetica Dissertatio
num. hujus voluminis.

A.	
De Aequitate.	.2.
Asylorum jure.	.12.
Allea	.23.
Ad L. Rhod. de jactu.	.36.
B.	
Bürgerrecht.	6.
C.	
De Communi Doctorum opinioe.	1.
Civitatis jure.	.6.
Calculi Errore.	.16.
Constituto Possessorio.	.25.
Contractu Mobadria.	.26.
Conditione Indebiti.	.27.
Conditore expellendo.	.29.
Culpa.	.32. 33.
Concessione Salinarum.	37.
Contractuum prestationibus.	32b.
D.	
De D. communi opinione.	1.
Damnus.	31.
E.	
De Errore Calculi	.16.
Expreso.	.21.
Expellendo conduttore	29.

F.	
De Fideiuribus.	.18. 19.
Foeminea Tutela.	.13.
Furiosorum jure.	10.

I. J.	
De jure Virorum.	3.
— Peregrinorum.	4.
— miserabilium.	5.
— civitatis.	6.
— vicinitatis.	7.
— senectutis.	8.
— militum.	9.
— Furiosorum.	10.
— Possiduumorum.	11.
— Asylorum.	12.
— Precarie.	36.
— Sepultura.	37.
Indebiti conditione.	27.
Interesse.	.13. 34. 35.
Indemnitas regressu.	35.
Jactu ad L. Rhodiam	36.

L.	
Ad L. Rhodiam de jactu.	36.

DISSERTATIO JURIDICA 35.
De
REGRESSU
INDEMNITATIS

Quam
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
SENSU & AUTORITATE
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JENENSI,

PRÆSIDE
Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo
DN. ADRIANO BEIERO,
J. U. D. celeberrimo, &c.

Præceptore & Patrono suo omni observantiâ
prosequendo,

In Auditorio Ictorum
ad diem 30. Sept.

Examini publico submittit

CHRISTOPHORUS Staffhorst
Dissenâ - Osnabr.

JENÆ,
Literis JOHANNIS VVERTHERI,
cb. bc LXV.



*Generoso, Magnificis, Nobilissimis, Perstrenuo, Consultis-
simis, Excellentissimis*

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO

AB Hammerstein/

Reverendissimi & Serenissimi EPISCOPI Osnabrugensis &c.

Consiliario intimo & Aulae Marscallo eminentissimo,

Satrapae in Osen / Hereditario in Geshmold/

Eckford / Zasperd / &c.

DN. GEORG-HEINRICO. Derenthal/

JCto famigeratissimo,

EJUSDEM Reverendiss. & Serenissimi PRINCIPIS Con-

siliario intimo & Cancellariae Directori

spectatissimo, &c.

DN. EBERHARDO Betten/

JCto celeberrimo,

Inclytæ Reipubl. Osnabrugensis Syndico gravissimo,

nec non Advocato felicissimo, &c.

Dominis, Patronis ac Promotoribus suis

summè colendis, venerandis

Exercitium hocce Academicum

In debita subjectionis & observantia

monimentum,

consecrat & offert

CHRISTOPHORUS Staffhorst,



7. 7.
CAPIT I.

Ubi post allatas à variatione §. 1. restitutione in integrum. §. 2. actionibus contrariis §. 3. Iudiciis duplicibus. §. 4. Exceptionibus §. 5. actionibus realibus & aliis negotiis differentias. §. 6. additur definitio cum quadam explicatione. §. 7.

§. 1.

Regressus vocabulum in jure generaliter ^{1.} conversum iter denotat, idque non modo *naturaliter*, ad pristinum locum; verum etiam *moraliter*, ad pristinum statum, s. qui potius priori per omnia respondet, utut individuo ab eo differat. Nam qui damnum passus est, ad eum, cujus intuitu hoc sibi contigit, se convertit, resarcitionem atque emendationem desiderans, quâ obtentâ, mediis status non attenditur, sed perinde reputatur, ac si tempora priora statusque integer adhuc durent. † Unde eum Indemnitas vocamus ^{2.} Regressum, non à modo & actu ipso, sicut illum Variationis; sed à scopo & causâ finali, quia actor à damno liberari intendit, Et quidem non promiscuè medicinam hanc desiderat; sed ab eo à quo causam habet sive dependet, per viam actionis, priorem actum non annullandum sed expiandum exoptat.

§. 2. Multum enim refert, *utrum* simpliciter quis ^{3.} causæ, juribus atque statui restituatur, tanquam si ab eo nunquam recesserint; quod contingit per restitutionem in integrum, ubi læsus ex capite v. g. ætatis, actum noxium planè annullari, & sic citra permutationem atque compensationem in priorem conditionem reponi desiderat: An v. statum noxium suscipere, perpeti & tolerare teneatur, ex-

A 2

spectata

- spectatâ saltem præstatione quâdam atque retributione.
4. *Priori casu nulla contingit mutua permutatio; id enim quod læsum offendit, è medio tollitur & annullatur, illudque ipsum, quod suum est, recipit; ut opus non habeat compensationem expetendi: v. g. qui Reip. causâ abfuit, fundum interea ab alio usucaptum in corpore recipit, nec permutare pro pretio, atque æquivalens quidpiam recipere cogitur. Nullum hîc synallagma, non agitur ad obligandum & contrahendum, sed potius ad distrahendum, & partes maturè separantur. † Posteriori verò casu status, in quem conjectus est alter, durat ac perferendus est, v. g. cui equus evictus est, eundem in corpore nunquam recipit, sed ad autorem suum, à quo causam habet & ita dependet, relegatur, ab eo compensationem, idque quod suâ interest, vel quantum evictionis nomine est stipulatus, recepturus; id quod saltem æquiparatur pristino statui, & sic in genere morum habetur atque si in statu damnoso nunquam extitisset. Ita ut h. l. emtio vel ad minimum permutatio quâdam invita oriatur, & partes obligationi involvi antè permittantur, quàm rursus nexu dissolvantur.*
6. §. 3. *Et ut natura Regressûs nostri exactius pateat, separabimus eundem quoque suô modô ab actionibus contrariis, quas dicimus, quæ non tam ex ipso contractu ordinariè ac naturaliter unâ cum directis oriuntur, vel mutuò ac vi quadam relativâ cum illis connascuntur, prout emti venditi, pro socio, & similes actiones; sed iisdem potius oppositæ sunt, quibus Reus intentionem Actoris infringit atque imminuit. Dum v. g. pupillus Tutelæ judiciò unum atque alterum à Tutore petit, hic contra pecunias pro illo expensas repetit, sicque multa adversarii intentioni demit. Unde proximè ad Indemnitate Regressum accedere solent, præprimis si minus accuratè & generaliter loquamur, & quandoque his ipsis Regressus aliquis instituitur.*
7. *Aut enim Tutor primus ad litem provocat, & mera actio contraria est: Aut pulsatus jam expensas allegat, & vel exceptioni vel reconventioni simile hoc est. Aut verò cum*
- pu.*

pupillo pecunia parata non esset, de suo solvere iustus est, salvâ adversus eum repetitione, & hoc demum propriè dictum vocabimus Regressum beneficiô contrariæ actionis perficiendum. Ita ut hæ actiones nec ipse regressus sint, nec per eas solas regressus quærendus, s. non omnis per eas expediatur. † Cùm enim in jure nostro aliud sit prævenire 8. damno futuro & infecto; aliud verò, post vulneratam causam remedium quærere, atque meritò posteriori huic negotiorum generi regressum nostrum accenseamus, eapropter talem esse negamus, quando v.g. Creditor pignoratitiâ contrariâ petit, ut loco rei alienæ sibi oppignoratæ, à vero tamen Domino nondum evictæ, debitor propriam tradat. Nam licet & hoc casu Creditor aliquam Indemnitàtem quærat, quoniam tamen nihil dum præstitit Domino evincti, non tam repetitio præteriti, quàm futuri; non tam regressus quàm primus ac simplex insultus vocandus erit: secus atque faceret, si evictâ re dispendia accepta resarciri peteret: in tantum, ut ne quidem directæ cuius actioni insit regressus: uti *ex c. 2. n. 24.* patet.

§. 4. Idem dixerò de Judiciis duplicibus, ubi uterq; 9. actor esse potest; tum ab initio, quum quilibet primus ad iudicium provocare valet; tum in ipso processu, ubi alter ratione ipsius rei & fructuum; alter contra ratione impensarum actoris vices sustinet. Nam licet v. g. qui equum communem solus detinuit, ex eoque fructus percepit, ob hos lite pulsatus de damno per equum calcitrosus suis illato, deque impensis in ipsum equum factis actorem vicissim conveniat. † Magis tamen est, ut id Re- 10. gressus nomine non veniat. *Ex supra dictis.* Quia sic non tam damna ab altero já perpeffa recuperare satagit, quàm ut futura saltem præcavet, in quæ incideret tum demum, si equum citrà resarcitionem horum restituere cogatur; quem si retinere sibi liceret, pro damnis nunquam reputatus erat.

§. 5. Unde pro Exceptionibus potius isthac habeo, quæ eandem ob causam à nostro Regressu distinguendæ sunt. Regressus quippe ex ipso sono & in voce quid offen-

- sive est, actionem involvens, & quasi Reconvectio qua-
 dam, à quâ tamen & ipsa supra hunc separavimus. Exce-
 ptio autem quid defensivum & præservativum est. † Hinc
12. quando *in l. un. C. de rei uxore act.* maritus uxore dotem: aut
 is cui res in diem addicta est, venditore ob meliorem obla-
 tam conditionem rem cum fructibus repetente, expensas
l. 16. ff. de addit. in diem: aut quod ob servum furti actione
 liberandum persolvere coactus est *l. 23. §. 8. ff. de edil. edict.* sal-
 vare conatur, Regressum propriè non vocavero; quia licet
 Indemnitatem desiderat: non tamen venditor ei horum
 nomine condemnatur, ut ait Julianus; sed Reus saltem
 non compellitur aliâ ratione servum restituere, quàm si
 venditor eum indemnem præstet *l. 29. in f. ff. de edil. edict.*
13. §. 6. Dum itaque Regressus noster non est exce-
 ptio, remanet quòd sit actio: vel imò non tam actio ipsa,
quàm certus actionum status; & quidem non realium; arg.
§. 1. 7. de actian. quippe nec de re quâdam alicui movemus
 controversiam, nec rem nostram eum detinere asserimus;
 sed damnum ab aliquo acceptum à tertio quopiâ propter
 eâ emendari exposcimus, quòd is vel causam ejus vel au-
 roritatem nobis præbeat, & hinc vi obligationis & officii
 sui firmiter nos securos reddere debuisset: quod, dum non
 fecit, & damni nostri causa moralis existit, meritò eum no-
 bis adversarium, nostræque sagittæ scopum constituimus
14. personali actione adoriendum. † Nec movet, quòd &
 creditor debitore excusso ad pignorum possessores hypo-
 thecariâ (quæ realis Prætoria est) revertatur. §. 7. 7. de
actian. Nam id progressus magis quàm regressus est. Ex Ju-
 stiniani enim Constitutione, si debitores sint præsentés,
 eorum atque fidejussorum facultates primò sunt executien-
 da, atque tum demum rectò ordine ad pignorum possesso-
 res deveniendum. N. 4. c. 2. unde sumta *Authent. sed ho-*
die. C. de O. & A. & Authent. hoc si debitor. C. de pign. quæ via
 maximè naturalis est, quia à quibus obligatio initium
 sumit, ii quoque prius pulsantur. Regressum autem
15. oportet esse retrogradum, atque adeò præternatura-
 lem. † Et licet ante Justinianum Creditor pro lubitu sta-
 tim

tim pignorum possessores convenire potuerit *l. 14. § 24. C. d. pign. l. f. C. d. O. & A.* id tamen non regressus tunc, sed primus congressus fuit: quia Creditor haecenus cum nullo litigaverat, E. nec à quopiam reversus dici potest † Gra- 16
vius obstare videtur, quòd pupilli & minores prædiis suis per Tutores ac Curatores absque decreto Magistratûs alienatis, adversum possessores eorum rei vindicatione regressum habeant *tit. ff. d. reb. eor. qui sub tut. § tit. C. d. præd. & al. reb. min.* At enim, quia Legislatores neglectò Tutore statim ipsum prædii detentorem aggredi permiserunt Minoribus, non regressus, sed primus congressus dicendus est. Nam Tutores magis in subsidium tenentur, atque adeò si excussio possessore ad eum revertatur pupillus, istud demum propriè loquendo Regressus erit. † Sed *Personali- 17*
um. Neque tamen hæc promiscuè quælibet. Nulla enim certa actionis species, quantumvis multas separaverimus, remanet, quâ solâ præcisè quis alterum conveniat; sed pro negotiorum diversitate semper alia atque alia competit. Quandoque se insinuat sub habitu & predicato actionis emti; ut, si cui evicta res sit, adversum venditorem suum habet eâ actione regressum: quandoque sub qualitate & titulo actionis locati conducti, uti in *l. 13. §. pen. ff. d. act. emt.* & sic consequenter, prout se habet negotium principale, ex quo obligatio fluxit. Nam emendatio debet per ea retrogredi, per quæ obligatio promanavit. † Sunt autem istæ 18
obligationes non solum ex contractibus, sive veris, uti ex jam dictis constat; sive quasi, v. g. dum pupillus, quod à debitoribus propter apocham Tutoris consequi nequit, actione tutelæ adversum Tutorem persequitur, vid Gothofr. ad *l. 46. §. 5. lit. y. ff. d. adm. tut.* sed & ex delictis, tam veris; ut quando fullo ob vestimenta subtrahita conventus à locatore s. Domino, regreditur contra furem *§. 15. J. d. oblig. que ex del. nasc.* quàm quasi; dum nempe Reus per imprudentiam Judicis damnatus, ipse; aut, eò absolutò, actor contra judicem actione in factum regreditur *pr. J. d. obl. que quasi ex del. nasc. ibique Dd.* † Nec tamen confestim ubi Indemni- 19
tas

- tas quæritur, Regressus æquè Indemnitas vocari poterit; synonyma quippe non sunt Regressus & Indemnitas; nec convertibilia, ut nempe, Ubicunque Indemnitas quæritur, ibi regressus contingat: & vice versâ, quicunque regreditur, quærat indemnitas. Nam licet posterius hoc verissimum sit; prius tamen fallit; cum & progrediendo indemnitas intendat actor. † Id quod exemplo Fidejussorum Indemnitas, Rück. oder Schadlos Bürgen probatum dabimus: scil. qui id demum soluturos se promittunt, quod creditor à debitore principali exigere nequit. Quem in finem quoque creditorem oportet antè principalem excutere, nec prius ad fidejussorem hunc venire. Et licet ob beneficium excussionis s. ordinis idem in reliquis etiam fidejussoribus usu venire soleat, id tamen ex beneficio magis, quàm conventionis naturâ est; accedente insuper & hâc differentiâ, quòd huic suo beneficio vulgares fidejussores facilè renunciare queant; cum indemnitas promissor nec juratò id possit. eleg. Magnif. Dn. Carpzov. p. 2. C. XVII. d. 7. & Cent. 1. Decis. 14. † Creditor itaque excussò principali ad fidejussorem pro residuo obtinendo veniens, nullatenus regredi hodie dicendus est: quia enim nunquam ipsi licuit hunc inquietare ante principalem, atque adeò ab eo nunquam discessit, quomodo nunc regredi dicatur? Tum vel maximè, quòd nec culpa fidejussori possit
22. imputari. † Quamvis non negem, jure antiquò etiam adversus fidejussorem Creditori regressum mandati actione competiisse, vid. §. 2. J. Mand. & hodiernum multos paulò laxius regressus verbò utentes, omnem damni reparationem, etiam ab eodem faciendam, ita vocare. Sic Dn. Hahn. not. VVesemb. de contrab. emt. n. 12. ad verb. item si contra pretium. In questione: An lesio & circumventio sit licita? ait: Si læsio fiat dolò contrahentis, tunc jure naturæ & cæsareò contra contrahentem datur regressus.

23. §. 7. His præmissis, ita generaliter Indemnitas
Definitio. Regressum describere audemus, quòd sit status actionum personalium, in quo se habent, quando in statum damnatum à quo piam
 de.

deducti, non eum ipsum, sed vel autorem nostrum; vel eum cui id
potest imputari, vel quem nobis delegant, pro eo quod nostrâ inter-
est, propterea quòd alter vel suò jure fecit, vel conveniri à nobis ne-
queat, competenter convenimus. † Non actionem, sed statum ^{24.}
ejus, h. e. habitudinem quandam, diximus; quòd actio
saltem sit modus ac via per quam ad aliquem revertimur.
Nam postquam emtori res evicta, emti actione regredi ad-
versus venditorem dicitur, h. e. ut ansam & pretextum
habeat ad venditorem perveniendi, actione emti utitur:
ita ut aliud sit ipse regressus, aliud remedium cujus bene-
ficiò id perficitur & obtinetur. † Cujus ergò notandum ^{25.}
est, duo esse quæ in omni fermè actione persequimur, pro-
pter diversam intentionem, vel duplex officium, quod con-
trahentibus solet incumbere; nam ad quædam immediatè
ac simpliciter obligati sunt, eaquæ indistinctè, vi ipsius con-
ventionis præstare tenentur; alia v. non nisi certò respectu
& quibusdam præsuppositis ac demum supervenientibus.
Sic venditor ad mercium traditionem purè obligatus est;
de evictione autem præstanda, non aliàs convenitur, quàm
si res emtori evicta fuerit: Unde emtor traditionem statim
urgere potest; de evictione autem ante controversiam à
vero Domino sibi motam ineptè acturus est. conf. Magnif.
Dn. Struve Patronus ac Præceptor meus jugiter colendus,
Syntagm. Jurispr. Ex. 19. tb. 5. Ex 23. tb. 27. circa. f. Ex. 25. tb. 20.
& sim. † Priori casu emtor rectò jure agit, nec id regres- ^{26.}
sus sed progressus vocandus erit: posterior demum casus
propriè recursus nominari potest; postquam à vero Domi-
no in statum damnosum, sed citra injuriam, est deductus,
non hunc aggreditur; sed contra venditorem, à quo de-
pendet ac causam habet, cujusve intuitu hæc patitur, re-
greditur. † Quæ ratio est, quare suo jure diximus. Nam ^{27.}
qui damnum injuriâ dat, ipse directâ actione citra regres-
sum convenitur: Unde omnis regressus adversus alium
quàm eum à quo immediatè lædimur, est directus; & si vel
maximè eundem conveniremus, fieret tamen hoc non qua-
tenus idem, sed quatenus alius esset; ut adeò saltus quispi-
am

B

am

- am fiat, à lædente ad alium; & damnum, acceptum ab hoc,
28. reddamus alii, ut pilam pueri. † Ita Mandans ad ea, quæ Mandatarius in expeditionem negotiorum suorum impendit, directò atque immediatè est obligatus, quippe quæ in ipso mandato includuntur, partibus etiam non cogitantibus, adeoque ad ea consequenda, ipsa contraria actio simplex atque in nativo suo statu competit sine ulla regressus specie. Si quid autem extra ea solvere coactus fuerit, hoc si repetat, sub habitu regressus perficit. † Sed
29. quid si Mandatarius fuerit spoliatus? is enim nec Principali suo id imputabit, quia latro non suo jure, sed per injuriam fecit: nec si latronem conveniat, regressus dicendus. Resp. Non necesse semper est regredi: Id enim tum demum fit, ubi directâ actione securi non sumus; quia actio vi bonorum raptorum, aut quod metus causa h. l. mandatario competit, mandati contrariâ non utetur per l. 26. §. 7. ff. Mand. 6. ff. mand. quia damnum hoc non ex ipso negotio quatenus
30. tali, sed tantum ejus occasione emerfit. † Quod si vel maximè ex ipso negotio oriretur, uti in casu d. l. 26. §. 7. vel si tempore belli ad loca manifestè periculosa mittatur, atque ea propter contra mandantem regrederetur, id tamen non fieret, quòd latro id suum jure fecisset, sed quia
31. mandatarius eum invenire non posset. † Unde in definitione additum: *vel conveniri à nobis nequeat.* † Perfectio *deducti* utimur ea propter, quòd sicut intempestivè victoriam ante pugnam canimus, ita ineptè resarcionem ante læsionem exposcimus. Nam pro damno infecto præcavendo non actiones, sed cautiones introductæ sunt, t. r. ff. d. damn. inf. dum E. damnum non contigit, nec status noster est in deterius mutatus, non possumus eò regredi unde nusquam
32. discessimus. † Sequitur in definitione: *vel autorem, h. e.* à quo causam habemus, & propterea dependemus in jure
33. habendi id de quo nunc controvertitur. † *vel eum cui id potest imputari,* quòd scil. in statu damnoso ab aliquo detineamur, licet noster non sit autor, v. g. debitores pupillo solvere detrectant, quòd à tutore sint liberati; quapropter
- con-

contra eundem tutelæ actione experitur, non tanquam su-
um autorem; sed quòd eidem morositatem hanc debito-
rum suorum imputet; adeoque non confestim autor est,
cui quid imputatur: quamvis omni autori imputari possit:
Denique verba: *quem nobis delegant*, respiciunt ad cessionem 34.
nem actionum, quâ multoties contra eum regredimur, qui
nec autor est, nec ei damnum nostrum possumus imputare.
Nam fidejussor solvens creditori sub beneficio cessionis a-
ctionum, consequitur facultatem conveniendi collegas,
qui ceteroquin nec autores nec causa statûs sui damnosi
existunt. † *Id quod nostrâ interest*, tam lucrum cessans, quam 35.
damnum emergens denotat. † *Competenter* propterea po- 36.
situm est, quòd nulla peculiaris sit actio, sed pro negotii
qualitate sit eligenda: cautione itaque & prudentiâ opus
erit.

CAP. II.

In quo post generalia quadam de natura Regressûs nostræ

§. 1. proponuntur Regule, de persona reorum & qui-
dem prima. §. 2. de autoritate. Secunda de facto
& culpa. §. 3. Tertia de cessione & delegatione,
§. 4. De Actore pariter prima Regula §. 5. de au-
toritate. Secunda de culpâ vel dolo. §. 6. quali-
bet fermè cum suis ampliationibus & limitatio-
nibus.

§. I.

Quamquam ex iis quæ posita sunt, facilè constare queat 1.
de natura & proprietate Regressûs nostri, antè tamen,
quàm ad ulteriora progrediamur, lubet pauca de natura e-
jus & requisitis adhuc residua subnectere. Cùm constet
igitur, omnem Regressum prævium supponere discessum ac
mutationem sive loci, sive statûs conditionisvè nostræ; non
quidem in melius, nam alioquin regredi nunquam deside-
raremus; sed in deterius, ubi scil. vel decessit vel non ac-
cessit nobis id, quod tamen debebat. † Idque nec volun- 2.
tate ac sponte nostrâ, quasi præsentem ipsi selegerimus sta-
tum

B 2

tum

- tum; id enim variationem involveret, & vel eo respectu huc non quadraret: quia is regulariter prohibitus est, præfens verò noster regulariter concessus: Nec nostrâ culpâ, cùm sic esset quod nobismet imputarem ipsi, nec conveniret ea propter alios molestare; sed vel vi debiti cuiusdam officii, quò nobis est devinctus, vel culpâ quâdam suâ, vel denique ex quâdam successione, sive in locum ac vicem alterius delegatione. † Et quidem Regressus est circuitus quispiam, quia actiones eò reflectuntur, unde descendunt obligationes: adeoque prout sibi invicem sunt auctores, ita retrò conveniuntur. Exemplum est in *l. 6. §. 1. ff. Naut. caup. stab.* ubi, qui servô meô utebatur, ob id, quòd servus mihi tunc nocuit, mihi tenetur; sed vicissim ego ipsi, quia servus fuit meus: Unde duplex regressus, sive duplicatus, notetur; qualis multoties in jure occurrit. Sic, qui pignus à creditore emerat, evictionem passus, regreditur contra creditorem, hic rursus contra debitorem. *conf. l. 75. §. f. d. Leg. 1. l. 13 §. pen. ff. de act. emt. & plures similes 1xx.* †
3. Ideò difficilè adeò haud erit, invenire ante omnia subjectum sive personas, quas inter Regressus competat. Nam quoniâ Regressus actionibus expeditur, methodus progrediendi eò erit planior, dum naturam actionum sequemur. Occurrunt autem in omni actione Actor & Reus: quapropter dispiciemus primò capite hoc secundo: Cui Regressus indemnitas: contra quem: & cap. seq. tertio ex quo fundamento: ad quid competat, seu quid persequatur actor: quamdiu duret, ac quomodo finiatur. † Sunt autem Actor & Reus relata, quæ se mutuò ponunt ac tollunt, pendetque ex cognitione unius notitia quoque alterius. Ideò inquiremus in personam Rei, quippe ex cujus facto causa oritur, totumque adeoque negotium fundatur; & facillè apparebit, quis sit actor. Factum h. l. cum læsione conjunctum est; oportet enim in statum noxium aliquem esse deductum, ex quo nunc velit levare. † Occurrunt autem duæ personæ lædentes: Una naturaliter atque immediatè, v. g. Dominus rem suam possessori evincens; Creditor solutio.

lutionem à fidejussore exigens; &c. Altera quæ non tam infert damnum, quàm ejus inferendi est causa moralis, propter quam & cujus intuitu id patimur, dum plenè satis nobis non prospexit, vendendo v. g. aut oppignorando rem alienam; vel certè talis modi actum à nobis rogavit, ex quo facilis ad statum damnosum est descensus, ut fidejubere. † 7.
Contra priorem regressus non datur; tum quia nec injuriã nec culpã suã nos læsit, nec ullã officii cujusdam vi nobis se devinxit; tum denique quia alius superest in quem dicta requisita cadunt, ut non sit necesse, innoxium quendam desuper excutere: is nempe quo de posteriori locò locuti sumus.

§. 2. De quo tres notandæ regulæ. Prima; Qui- 8.
cunque autoritatem nobis præstat, contra eum re evictã “ *Reg. I.*
regressum instituere possumus. Vocabulum autor in jure “
nostro significat eum qui firmitatem actui, & fidem, & jus ha- “
bendi præstat, cui de juris translati firmitate validitatẽque *Autor.*
fiditur, cujus auspiciis actus valet, aut valere creditur: quia
jus agendi vel verè vel secundum opinionem præstat. † Sic 9.
Tutor in negotiis pupilli autor fieri debet *t. t. 7. §. ff.*
de aut. tut. Sic juris Autores dicimus, quibus ceu Principi-
bus Sectæ & Capitibus nitimur, & quorum fide sententia
de jure aliquo consistit: *l. 39. in m. ff. de act. emt.* Sic Gellio
II. 10. Servius Sulpitius juris civilis Autor appellatur, cujus
respondis fidebatur. † Et Pomponius *in l. 2. §. 5. ff. de O. I.* 10.
ait: quòd interpretatio desiderãrit prudentium AUTO-
RITATEM: Et Dd. ad §. 8. *7. d. jure N. G. & C.* notant: Jctos
respondere Imperatoriã autoritate. *Autoritas.* E. est ipsa
ἀξιωμασία, manutenentia & ratio ob quam firmi sumus &
certi, negotii cum autore gesti: & præstare autoritatem, est
præstare firmitatem, *βεβαιώσων*. † Hinc *Legib. XII. Tabb.* pro 11.
ipsa præstatione vel actione ad evictionem, autoritas poni-
tur. Ut quando dicitur: Adversus hostem æterna autori-
tas esto; i. e. adversus peregrinum perpetuò datur actio
ad evictionem; quocunque tempore controversia nobis
super ea re moveatur, provocare ad eum tanquam auto-
rem

rem licet; qui, quemadmodum rem ipsam & causam habendi præstitit, ita eundem tueri atque corroborare tenetur. vid. Dn. Joh. Strauch. in *Tr. ad 50. Decis. Ex 2. c. 1. n. 13.* Quando itaque Adam Volckmann in *Inform. Notar p. 1. c. 7. n. 11.* scribit, partes litigantes ad Protocolum Notarii habere Regressum; illud ipsum innuit, quòd Codex Notarii auctoritatem, certitudinem atque fidem negotio præbeat.

12. † Ex his sensus & veritas regulæ patet, quòd nimirum quicumque semel titulum & causam habendi vel agendi quidpiam nobis præbuit, teneatur postmodum eundem præstare, vel id, quod interest nostrâ præstitum non esse, resarcire. Atque adeò non solum venditor emtorem, propter rei detentionem; sed etiam Principalis Procuratorem, Dominus officialem propter actum suâ auctoritate gestum, defendere tenetur. Inde nata est clausula rati, mandatis inferi solita. Inde quoque, licet Institor durante officio conveniri queat ex contractibus à se celebratis, salvus tamen ipsi adversus præponentem est regressus. *l. 7. §. 11. ad Sct. Mac. Dn. Mævius ad Jus Lub. l. 3. T. 6. a. 5. n. 6. p. 120.* Id enim auctoris nostri officii ratio exposcit; atque hoc dum exigimus, Regressum adversus eum apprehendisse dicimur.

13. † Quamdiu autem hisce vinculis eum ligatum habeamus, inde sumi potest, quando res sive titulus ejus nobis sit confirmatus, ac coaluerit quasi nobiscum, ita ut avocari amplius nequeat. Idque ex terminis usucapionum mensurandum. Qui enim vendit, vel statim dominium, vel certè usucapiendi conditionem, in nos transferre tenetur. Interea autem dum in præscribendo sumus occupati, evincere res à vero Domino potest, sed autor noster, per denunciationem provocatus, assistere nobis tenetur, jura atque defensiones suggerere, atque succumbentibus nobis præstare evictionem; sive id quod per evictionem nobis decedit, resarcire.

14. † Elapsis itaque usucapionum fatalibus, quia res irrevocabiliter facta est nostra, propriumque nacti sumus titulum, ultra non indigemus auctoritate alienâ; sed interrogati de causa rei, ad usucapionem tutò provocare possumus

mus. Quarum ergò rerum brevis usucapio est, ab illarum quoque evictione præstanda maturius liberatur autor: Quarum verò nulla est usucapio, earum quoque perpetua est autoritas. † Sic LL. XII. Tabb. & *Atinia* Furtivæ rei æternam autoritatem esse jubent: i. e. æternam præstationem autoritatis & evictionis. Fori, bustive æterna autoritas esto: i. e. vestibulum sepulchri, bustumve nullò unquam tempore usucapiuntur, itaque perpetuò autoritas & evictio præstanda. Cic. 2. d. LL. Intra quinque pedes æterna autoritas esto: i. e. quinque pedes semper possunt evinci, nec possunt usucapi. Usus auctoritas fundi biennium, cæterarum rerum annus esto: i. e. usucapio & præterea etiam præstatio evictionis fundi durat biennium. Res Ecclesiæ illicite alienatæ quancumque revocantur; sed datur tamen emtoribus RECURSUS adversus eum qui præsumsit alienare. *can. Vulterane. 25. XII. q. 2.* Quemadmodum & Creditor rem ecclesiasticam sibi oppignoratam restituit, regressu contra oppignorantem servatò. *can. hoc jus porrectum. 2. vers. qui verò res. X. q. 2. conf. infra cap. 3. n. 66.* ubi de Duratio regressus. † Ampliatur hæc assertio nostra, ut, sive privatus sit, qui autoritatem nobis præbuit, sive Fiscus, sive ipse Princeps, à regressu non sit immunis. In dubio enim Fiscus utitur jure communi l. 12. ff. d. compens. Unde Justinianus noster in causâ venditionis vel donationis à Fisco vel Principe vel Augusta factæ, possessore statim liberatò, Fiscum totò quadrienniò regressui supposuit. l. f. C. d. quadr. præscr. † Tenetur autem quis ad evictionem, non solum si vigore officii sui tacite se ad evictionem obligavit, verum etiam, & longè justius, si Indemnitate expressè nobis promiserit, v. g. in alienatione bonorum censiticorum & emphyteuticorum pro investitura laudemium Domino ab emtore est solvendum: Quòd si venditor hoc in se recepit, pactum istud Domino quidem non præjudicat, eoque non obstante ab emtore petere potest, salvò tamen adversus venditorem Regressu. Magnif. Dn. Richter/ Doctor ac Patronus meus venerandus, *Decis. 83. n. 30. seqq. B. Frantzk. Tr.*

15.

16.

Ampliatio

1.

17.

Ampl. 2.

Tr.

Tr. d. Laudem. c. 16. n. 118. It. Tutor equidem ob ea etiam quæ non ipse, sed mater vel avus maternus gesserunt, tenentur pupillo. Verùm si illi Tutori promiserunt Indemnita-
 tem, contra eos habet regressum *l. 2. C. si mat. indemn. pro-*
mis. Nec obstat S^Ctum Vellejanum; quia in suum com-
 18. modum sic fidejussit. † Item non solùm si ab initio suo non
Ampl. 3. satisfecerit officio, rem imperfectè tradendo, eamque no-
 stram non faciendo; Verùm etiam si postmodum denun-
 ciatus non defendat denunciante, metuere debet Re-
 19. gressum. Vid. Dn. Carpzov. *Process. T. 4. a. 4. n. 1. 2. 3.* †
Limitatio 1. Sed hujus Regulæ notabilis est exceptio in *l. 11. ff. d. evict.*
l. 11. ff. de E- quòd nempe, si res ex præcepto Principis evincitur, regres-
viçt. sus contra Autorem denegetur. Ex eâ ratione, quòd Au-
 tor ea tantùm præstet, quæ suò tempore contigerunt, & ex
 his, quæ ex tempore venditionis præcedente causam evi-
 ctionis pariunt *l. 1. C. d. peric. & comm. rei vend.* Futuri E. ca-
 sùs evictionis post contractam emtionem ad venditorem
 20. non pertinebunt. † Hinc si quis in Germania trans Rhe-
 num prædia emit, & partem pretii intulit, his possessioni-
 bus ex præcepto Principali partim distractis, partim vetera-
 nis in præmia assignatis, periculum ad venditorem non per-
 tinere, sed pretii residuum adhuc peti posse, Paulus *Lib. 6.*
Respons. respondit. Quia, ut autor est Jacob. Cujacius in
 casu non absimili, *Consultat. 38.* isthæc evictio, non fit ex cau-
 sis evictionum solennibus in jure receptis, nullâ vendito-
 ris culpâ, quod scil. vel esset alienus, vel alii obligatus; sed
 casu fortuitò, qui nullâ sagacitate humanâ tempore con-
 21. tractûs potuit prævideri. † His convenienter Puteus *Lib.*
3. Decis. 391. decisum esse tradit, illos qui bona Bentivolo-
 rum confiscata & à se comparata vendiderant, de evictione
 22. non teneri, cum isti Bentivoli à Papa restituebantur. †
 Quapropter cum Henricus ab Haubiz ibidem & in Leipzig
 cum Wolffgango à Schönfeld zu Döben contractum permuta-
 tionis celebrasset, & ei pro quodam prato admodum a-
 mœno, jus venandi in vicinis campis cessisset, per limites
 autem venatorios, vulgò Häge-Säulen/ ab Electore Saxo-
 niæ

niæ id evinceretur, ibidemque venatio prohiberetur,
Schönfeldius ille pratum condicere, vel aliter Regressum
contra Haubizium ex *l. 33. ff. locat. l. 15. §. 2. ff. d. R. V. inten-* *l. 33. ff. Loc-*
tare conatus quidem, sed, in contrarium patrocinate *cat.*
Matthiâ Berlichio, repulsam, vigore nostræ *l. 11. d. evict. tu-*
lit, in supremo Appellationum judicio, *d. 15. Jun. 1624.* quæ
sententia etiam postea per Leutationem *4. Dec. ead. annô*
confirmata, vires rei judicatæ accepit, referente Berlich.
part. 1. aur. Decis. 130. add. Dn. Carpzov. 5. Resp. 45. seq. † Ac 23.
licet Supremus Frisix Senatus in simili causa *15. Jul. 1605.*
contrarium pronunciaverit; pari tamen quæstione denuò
occurrente, superioribus rationibus permotus, contrariam
dixit sententiam *19. Dec. 1612.* prout est apud Joh. à Sande, e-
jusdem Curix Senatorem, qui testatur etiam in priori casu
votum suum fuisse reliquis contrarium. *L. 3. T. 4. d. §. † Li- 24.*
mitatur quoque regula in eo casu, ubi culpam alterius ar- *Limit. 2.*
guere possumus, quem justius convenimus, vel certè, ubi
culpa propria subest, ita ut nobis debeamus imputare. Sic
qui per injuriam damnatus est, regressum non habet con-
tra suum Autorem. Res enim evicta dicitur, quando judi-
ciò verò, nec per imperitiam. Judicis, nec per culpam emto-
ris res ablata est. Schotan. *Exam. Jurid. pag. m. 537. per l. 8.*
Cod. d. Evict. vid. infr. n. 56. † Porrò limitatur, si venditor pa- *25.*
ctus sit, ne periculum evictionis præstet. *l. 21. C. d. Evict. Lim. 3.*
Dummodò careat dolò. De quo vid. *infr. n. 34.* quod pactum
tamen solùm à præstatione ejus quod interest, non etiam à
restitutione pretii liberat, prout judicasse Senatùm Parifi-
ensem refert Papo. *Lib. XI. Tit. 4. a. 3.* quia non patitur bo-
næ fidei contractus, ut emtor rem amittat, pretium autem
vendedor retineat. *Perez. n. 23. C. d. Evict. †* Denique qui *26.*
donat, Autor est, præbetque donatario titulum sive cau- *Lim. 4.*
sam habendi. *arg. Tit. ff. pro Donato.* Re donatâ tamen evi-
ctâ, non semper competit Regressus: in donatione quippe
simplici sive absolutâ præstatio evictionis exigì non potest.
l. 18. §. fin. ff. d. Donat. Nisi cautum fuerit de evictione, l. 2.

C

C. d.

C. d. Evid. Cæterum si res aliena in dotem fuerit data, distinguitur juxta *l. 1. C. d. Jur. dot.* vid. Magnif. Dn. Struvel *Exerc. 27. th. 17. & Exerc. 30. th. 10.* Sicuti vicissim Donator adversus Donatarium regressum non habet. allegante Gothofr. *ad l. 9. lit. m. ff. ad Scrum Maced.* vid. *infr. n. 47.*

27. *Reg. II.* §. 3. Regula Secunda esto: Cujuscunque intuitu, factô vel culpâ damnum sentimus, adversus ipsum habemus Regressum. Ratio hujus regulæ in eo consistit, quòd officiô susceptô quilibet exactè fungi debeat, nec quicquam eorum, quæ necessario requiruntur, omittere, nihil etiam ultra fines sibi præscriptos superaddere; sed intra terminos, ut loquimur, se continere. Unde sive committendo, sive omittendo peccaverit, tenebitur. Imò omnis culpa negligentia quâdam committitur. Quod etenim Dd. culpam aliam faciunt commissionis, aliam omissionis; minus accuratè fit, quia etiam is, qui, quod omittere debebat, fecit, negligens fuit, non evitando quæ præcavere debebat. Conf. Grot. *l. 2. de J. B. & P. c. 17. n. 6. & seqq.* † Sic quando Princeps vel Magistratus exteris non æq; atque subditis jus & justitiam administrat; cum tamen causa sit liquida, nec minimi momenti, multoties adversus subditos ejus ad territoria aliena, vel venientes ipsos, vel bona sua transmittentes, repressalia exercentur; qui sic culpam Magistratûs sui luentes, in statum maximè damnosum conjecti, jure meritò audiri, ac per regressum tam contra Magistratum, quàm concivem suum, cujus ergò repressalia passi sunt, juvari debent, ut & damnum illatum, & lucrum cessans refundant: uti ex multis Dd. probat & confirmat Heig. *p. 1. q. XII. n. 64.* vid. Grot. *d. Tr. 1. 3. c. 2. n. 4. 5. & ult.* † Et ita Jctos Jenenses *in mense Majo 1529.* ad requisitionem Cons Bihnen/ Podewitschen Secretarii, responsum fuisse testatur Magnif. Dn. Richter / *in Comm. ad Auth. Habita. C. ne filius pro patre. in privil. 4. p. m. 67.* his verbis: Ob wol der Mandator dem Mandatario casum fortuitum zuersehen unverbunden: So sind doch die jenige / welche justitiam verwegert / denen / welche daher vor frembde Schuld repres-

repressalias aufstehen müssen / den erlittenen Schaden / jedoch
doch ehe nicht / als wenn die verübte repressalien rechtmässiger
Weise (dazu denn denegata Justitia nicht gnugsam) angeord-
net / zuersehen verbunden B. R. W. † Porro negligentia at- 30
que culpa Procuratoris , utpote qui litis Dominus effectus
est per lit. contest. It. Advocati , in ipsa causa Domino,
Clientive præjudicat & nocet. Dn. Schnob. *Disp. ad π. III.*
tb. 20. datur tamen eis regressus adversus Procuratorem:
tenetur namque is ex mandato de culpa sua *l. 13. § 21. C.*
Mand. Ita Dnn. Scabin. Lips. in causa Martini Reinholds
zu Werde *M. Febr. 1632.* & in causa Matthæi Heinrichens zu
Remnis *M. Jun. 1636.* respondisse scribit Dn. Carpz. *p.*
1. C. 1. d. 22. & L. 3. Elect. Resp. 4. n. 9. Ubi Senatum Appella-
tionum in causa derer aus dem Winkel contra die von He-
dersleben *Term. Trinit. 1623.* ita decrevisse ait. † Elegans 32
quoque exemplum est in *l. 57. pr. ff. d. admin. & peric. tut.* U-
bi exustis Debitorum chirographis , pupillo contra Tuto-
res , qui ex Inventario aliquos ex Debitoribus convene-
rant ad pecuniam solvendam , aut novationem faciendam,
in cæteris verò idem dolò aut culpâ facere neglexerant,
propter damnum ex hâc cessatione contractum , ex respon-
so Scævolaë *lib. 10. Digestorum*, Regressus actione tutelæ tri-
buitur. Qui casus coincidit cum sup. allegatis Gothofr.
ad l. 46. §. 5. eod. notatis , ubi debitoribus per apochas *i. e.*
quitantias Tutorum liberatis , regressus pupillo contra Tu-
tores tribuitur. † Aurigæ vel nautæ merces vectigalium 32
exactoribus non profitentis culpa nocet Domino ; non
mercium , sed navis & equorum , qui etiam propterea â
mercatore potest conveniri ; elegantem casum reperimus
apud Dn. Carpz. *Cent. 2. Decis. 133.* Sed Regressum contra
nautam habet saluum. Dn. Schnob. *Disp. Feud. IV. tb. 26. in*
f. † Heres fiduciarius ad processûs â defuncto motos 33
continuandos tenetur , Gail. *1. obs. 109. n. 5.* si ad reassumen-
dum citatus non compareat , in contumaciam ejus proces-
sus habetur pro assumto. Berlich. *p. 1. concl. 27. n. 25.* nec ta-
men id substitutis & fideicommissariis nocet , vel certè con-

tra eundem habent regressum. *arg. l. 22. §. 3. ad Sct. Treb. ubi Br.* Ita pronunciantibus Jctis Helmstad. ap. Dn. Hahn in *Wesemb. ad Sct. Treb. n. 8. verb. Nam planè hoc casu. p. m. 345.*

34. † Multò autem magis Regressui obnoxius erit, cujus aliqua
Ampliat. fraus vel dolus argui potest. Quapropter si creditor pignus furtò amisit, debitori quidem pignoratitiâ directâ propter incuriam suam tenetur; sed nihilominus contra furem Regressum habet integrum. *l. 14. §. 6. ff. d. furt.* Quod si ipse creditor pignora fraudulenter distraxerit, debitor eâ possessori fraudis ignarò evincere quidem nequit, verùm adversus machinatorem regredietur, uti colligere est ex *l.*

35. † Et sic è contrario, cui nulla culpa
Declar. *7. C. d. distract. pign.* imputari potest, is nec regressui obnoxius erit. Cùm itaque Tutor à cognatis & propinquis pupillæ perductus ad Magistratum, jussus esset alimenta pupillæ, & mercedes, ut liberalibus artibus institueretur, pupillæ nomine Præceptoribus dare, fratri pupillæ puberi factò regressum contra Tutorem Julianus interrogatus *Lib. 21. Digestor.* negavit, quippe quem jussus superioris excusat, per *l. 20. ff. d. O. & A. & l. 4. ff. d. R. 7.* quin, etsi citra Magistratum decretum id fecerit, nihil eò nomine præstare debere, Idem *ibidem* respondit. *vid. l. 4. ff. ubi pup. educ.*

36. §. 4. Tertia Regula esto: Quemcunque Actor no-
Reg. III. bis delegat, aut contra quem cedit nobis suas actiones,
“ contra eum competit nobis Regressus: quantumvis is
“ nec autor nobis fuerit, nec culpam ei possimus impu-
“ tare. Agimus enim adversus eum non nostrò quò-
dam jure, sed autoritate alterius, qui jura sibi compe-
37. tentia in nos transtulit. † Res manifesta est in fidejussore,
quem creditor excussit, cessis actionibus: per id enim con-
sequitur adversus Collegas sive confidejussores suos Re-
gressum, quos cæteroquin sibi obligatos non habebat; quip-
pe quod nullum inter eos negotium gestum esset; quibus
nec culpa nec autoritas potest imputari. Sed quo minus
hæc in præsentiarum uberius persequamur, in causa est
quòd

quod *infra in cap. 3. n. 27. seqq.* inter remedia Regressum obtinendi prolixius hoc argumentum tractaturi simus.

§. 5: Vis sic sufficienter personis Reorum, transitum 38.
facimus ad Actores, tractaturi Quibus competat Indemnitas Regressus, Quibus contra negetur. Illud facile ex Regulis propositis per quandam inversionem colligi potest. Nam Prima; Quicumque in habendo vel agendo alium agnoscit Autorem, is, si controversiam de super patiat, in damno non relinquendus, sed regredi ad verus Autorem permittendus. Verum aliquantò plus negotii hæc Regula nobis faceat, quòd passim suas patiat limitationes, quanquam ipsi nec desint suæ ampliaciones. † Notum est, quòd emtor re evicta contra venditorem habeat Regressum, per vulgata. Idque verum est non solum si tota; sed si pars quoque rei evicta sit. Nam & si columna evicta fuerit, Javolenus *Lib. 9. Epistolar.* putat, Te ex emto cum venditore rectè acturum, & eò genere rem salvam habiturum. *l. 23. §. 1. ff. de Usurp. & usucap.* † Uti que autem, etiam mortuò homine qui evincitur, necessariam esse condemnatoriam adversus emtorem sententiam, existimat Paulus *Lib. 21. ad Edictum*; non quidem ex aliquò adversus eum odiò; aut ad rem mortuam restituendam; non enim post L. C. utique & fatum possessor præstare debet; sed Actori, propter fructus, partus & pretium; Reo verò propter stipulationes, evictionem & REGRESSUM, notante Gothofr. *ad l. 16. pr. ff. d. R. V.* † Declaratur hæc regula nostra (1) si modò de cætero personæ hæc contrahentes tales sint, inter quas actio mutua locum habere possit. Nam, quia Actorem & Reum distinctas oportet esse personas; at verò Dominus & Servus in jure pro iisdem reputantur, nemo autem in seipsum agere potest; sequitur, nec eundem adversus seipsum regredi posse: Regressus enim est pro damno resarciendo; at nemo dicitur sibi ipsi præstare culpam, dolum, casum, damnum; quantumvis quid de suis rebus amiserit, perdiderit, corruerit. † Unde etiam est, quòd debitor quantitatem mutuò acceptam restituere cogatur, utcunque casu

Actors

Regul. 1.

39.

Ampliatio 1.

40.

Ampliatio 2

41

Declaratio 1

42

perierit: non quasi in mutuo etiam casus præstetur; sed quia in re propria nulla damni præstatio locum invenit. Si quis enim amissio per incuriam v. g. pileo, novum comparat, eum ineptè diceremus culpam præstare, aut damnum refarcire: qui tamen de propria pecunia pileum emit. Ecquæ esset sic refarcitio damni, ubi pro pileo recepto pecuniam expendit, & damnum pecuniæ pro damno pilei sentit?

43.
§. 10. I. d. in-
ut. stip.

† Ex hoc principio Dd. depromunt rationem, quare Justinianus Imperator in §. 10. in f. J. d. inut. stip. filium impuberem autore Patre non permittat obligari, qui tamen pupillos sub autoritate Tutorum contrahere & obligari concedat; scil. quòd pupillus ob damnum inde emergens adversus Tutorem habeat regressum; filius contra Patrem non habeat; & sic lucrum quidem Patri acquirat, damnum solus tolerare cogatur. vid. Lindem. in Exerc. Justin. VI. ad

44
Declar. 2.

diēt. tit. §. 16. † Quin & si (2) de cætero personæ sint distinctæ, in se tamen ejus conditionis, ut actione pulsari nequeant, nec Regressus quoque adversus eas dabitur, quippe per viam actionis expediendus. Sic fidejussor solvens pro pupillo, furioso &c. regressum contra eos non habet.

l. 25. ff. d. Fi-
dej.

Hering. de fidej. c. 5. n. 335. per l. 25. ff. d. fidejuss. Sed textus ejusque casus non caret difficultate. † Nam aliqui pu-

45. tant propterea fidejussori regressum negatum, quòd nec ipse obligatus sit, nec adeò eò habeat opus. Nemo enim fidejussor principalem habet obligatum antè quàm pro eo solverit: Committi E. h. l. fallaciam causæ, quòd scil. ipsi principales, pupilli, furiosi, ne naturaliter sint obligati, l. 41. ff. d. condiēt. indeb. l. 59. ff. d. O. & A. E. nec fidejussores pro

46. illis l. 1. §. 2. in f. l. 6. d. V. O. † Verùm Resp. prædictæ personæ & possunt obligari, & non possunt. Quando E. priori casu obligantur v. g. ex qf. contractu, aut delicto l. 46. d. O. & A. fidejussores quoque ligari, conseq. conveniri possunt: quo casu meritò dubitatur an Regressum habeant? Quòd indigeant, non dubitandum, quia in damnum coniecti: sed quia Principalis eorum, Mandans, talis est persona quæ civiliter non est obligata, regressum non ineptè negavi-

gavimus. Undè benè Marcellus *in d. l. 25.* scripsit: pro pu-
pillo OBLIGATO. Quod verbum urget Cujacius *ad d. l.*
6. d. V O. S ad d. l. 19 ff. de usucap. Quod si non obligantur,
ne quidem naturaliter, tunc adversariorum hypothesin
concedemus, nec obligari fidejussores, nec consequenter
regredi posse. † (3) Declaratur: Modò autori nostro per
pactum, donationem, aliumve modum obligationem hanc
non remiserimus. Patet enim, quòd is, qui vult donare,
non possit habere animum repetendi. Id quod Gothofr.
l. 9. ff. ad Sc. Maced. applicat ad fidejussorem qui novandi
animò pro filiofam. intercessit, non habere regressum. Sic
& qui pro Minorenni quatenus tali fidejubet, nec excipi-
ens auditur contra Creditorem, nec agens contra Princi-
palem, propter *l. 19. pr. ff. d. R. 7.* vid. Dn. Schnob. *Disp. ad*
π. IV. tb. 8. † Et quoniam Delegatio est species novatio-
nis, Idem *Disp. XXIII. tbef. 21.* ait: dēlegatione ritè fa-
ctâ, illum, qui delegavit, ab obligatione prorsus libe-
rari: adeò, ut, si delegatus postea facultatibus labatur ac
non solvendo fiat, is, cui delegatio facta est, adversus debi-
torem priorem regressum non habeat; quin nec Cessionari-
us contra cedentem, eò casu, quò cessus non solvendo exi-
stit, regressum habet. † Nam qui nomen emit, nisi per
conventionem sibi cavet, ipse periculum sustinet. Dn.
Schnob. *Disp. XI. tb. 12.* In tantum, ut licet caverit cedens
se cessionarium indemnem præstiturum; *Schadlos zuhalten/*
tamen non teneatur ad ulterius, quàm nomen obligatio-
nemque veram; non verò exigibilem præstandam, prout
Dnn. Helmestad. constanter responderunt ap. Dn. Hahn.
ad Wes. d. Eviēt. n. 10. verb. contraria eviētioni. p. m. 35. seqq.
† Nisi cedens vel expressè promiserit se velle præstare debi-
torem qui sit solvendo: vel idem periculò suò debitorem
delegaverit aut cesserit. Tunc enim demum cessionarius
pecuniæ, quam à Delegato servare non potest, exactio-
nem haud amittit, sed adversus Cedentem Regressum habet
ix. singulari in l. 25. §. p. ff. Mand.

47.

Declar. 3.

48.

49.

50.

51.

§. 6. Regulam Secundam quod attinet, ea sic for-
mari poterit: Ei, cujus nulla potest argui culpa; regressus
conce-

Regul. II.

- “concedendus : Factum autem & culpam propriam
 “quilibet sibi adscribere, regressuque carere debet. Nam,
 ut habetur in proverbio : quilibet suæ fortunæ faber : & ut
 est ap. Terent. Tibi ipsi, quod intrivisti, exedendum est.
52. † Ex quâ ratione fuit, quòd creditori in probatione con-
 sensûs civium ac versionis succumbenti, Regressus sit con-
 tra Administratores indulgendus conditione causâ datâ
 causâ non secutâ ; uti elegantissimè habet Dn. Carpz. *L. 2.*
53. *Resp. 108.* † It. quòd creditor, qui, fidejussore ad certum
 tempus recepto ignorante, debitori prorogavit terminum
 solutionis, hoc bonis labente, adversus illum sibi vigilan-
 tem non habet regressum, scribente B. Ungepaur. *Exerc.*
45. *Just. XI. q. 6. p. 529. in f.* † Et quòd, qui servum furacem a-
 pud se depositum rei nummarie præposuit, argentum cu-
 stodiendum commisit, non habeat contra Dominum regres-
 sum si furtum commiserit. Nam occasio facit furem ; &
 qui occasionem peccandi subministrat, suæ incogitantie
 vel facilitati imputabit. vid. Nobiliss. Dn. Schröter/ Præce-
 ptor & Patronus meus plurimum observandus, in *Disp. de*
55. *Deposito. tb. 34. in f.* † Emtor rei alienæ conventus de evi-
 ctione, si compromisit, regressum non habet contra vendi-
 torem, autore Paulô *Lib. 2. ad Edictum Edil. Curul.* quia nul-
56. lâ necessitate cogente id fecit. *l. 56. §. 1. ff. d. Eviçt.* † Hinc
 quoque emtor præscriptione tutus, si non allegatâ exce-
 ptione damnatur, non habet regressum contra venditorem.
 Nam aut non obstante suarum exceptionum allegatione
 Judex contra emtorem pronunciavit, & venditor non te-
 netur ad evictionem, ob *l. 51. ff. de Eviçt.* qui enim per inju-
 riam damnatus est, regressum non habet contra autorem.
vid. supr. n. 24. Aut non opposuit dictam Exceptionem
 emtor ; & nec tunc tenetur venditor. *l. 19. §. 1. ff. d. Eviçt.*
 quia justam defensionem omisit emtor *l. 19. C. eod.* ubi Dn.
 Brunnem. add. Coler. *Decis. 27. n. 4.* Nobiliss. Dn. Becke-
 mann/ iridem Præceptor & Patronus meus honoratissimus,
57. *Disp. de Eviçtion. tb. 84. in f.* † Sed quid si sciens rem alie-
 nam emerit ; utrum adversus emtorem eâ evictâ, regressum
 habe

habebit? Nam *de ipsa litis aestimatione & præstatione inter-*
esse omnes negant; quia contra juris rationem poscit,
quod eò nomine dedit; quasi videatur donasse, qui scienter
rem alienam comparavit. † De pretio verò disting. utrum 58.
emptor nominatim pactus vel stipulatus sit super evictione:
& actio ei salva manet l. 7. C. comm. utr. jud. Exceptò tamen
casu l. 3. inf. eod. ubi emptori scientiam rei alienæ aut grava-
tæ habenti, non prodest stipulatio duplæ. Quod singu-
lare ibi esse notat Accursius: ne temerè quis accedat ad e-
mendum res gravatas, contra defuncti voluntatem; quâ de
causâ & res hujusmodi usucapi nequeunt d. l. 3. §. sin autem
sub 3. † Omissâ verò stipulatione, utrum restituendum sit?
non concordant Interpp. Nam Perez. in C. d. Eviçt. n. 25. 59
defendit, eò quoque casu restituendum. Cujus ratio (1)
quia iniquum esset, illud penes venditorem manere ratio-
ne rei venditæ, ad quam tamen illi nil juris erat. Et fore
(2) hoc contra l. 32. ff. si cert. pet. ubi dicitur, bonum & æ-
quum esse, pecuniam meam, quæ ad Te pervenit, à Te
mihî reddi, quæ hoc casu non potest videri donata;
cùm data sit ex causa; & donatio non præsumatur.
(3) Facere in hanc rem, quòd emptor, qui sciens com-
paravit rem fideicommissò obnoxiam, existente ejus
conditione avocata, actionem habeat ad restitutionem
pretii adversus venditorem l. 3. inf. C. comm. de leg. † Com- 60
munis Dd. Schola contrarium colligit ex l. 27. C. d. Eviçt. re-
ferente Dn. Brunnem. ibid. Nam (1) cum uterque malâ
fide agat, melior est causa possidentis. Covarr. Lib. 3. resol.
c. 17. n. 2. Anton. Gomez. T. 2. var. res. c. 2. n. 42. Fr. Caldas
d. Emt. c. 11. n. 6. Tiraq. d. Retr. conf. §. 12. gl. 1. n. 11. H. Pistor.
p. 2. q. 10. n. 22. Freutl. & Bachov. b. tb. 7. inf. (2) quia in d.
l. 27. dicitur, quod eò nomine dedit, contra juris poscit ra-
tionem. † Ad quod posterius respondet Perez. intelli- 71
gendum esse non de pretio, quod venditori numeratum;
sed de litis aestimatione, quam Domino rem vindicanti sol-
vit emptor; vel creditori pignus vindicanti. Nam, ut pre-
tium penes venditorem maneat, nulla æquitas patitur l. 11.

D

§. f.

62. §. f. ff. d. act. emt. provocans ad eund. Covarruv. d. l. † In hoc Autorum conflictu ubi, pars utraque extrema tueri sat-agit, media & benignior sententia, quæ est Schotani Exam. Jurid. p. m. 479. amplectenda videtur: distinguentis, ut siquidem de eâ re ut aliena sit actum, emtor nullam habeat actionem ad id quod interest, vel ad pretium; d. l. 27. C. d. Eviçt. l. f. C. d. comm. rer. alienat. sin de ea ceu aliena non sit actum, tunc licet emtor sciverit vendentem non esse Dominum; æquitas tamen ex l. 14. §. 33. ff. d. condict. indeb. admittat pretii repetitionem. † Si quis rem communem ab altero sociorum ignorans emerit; re ab altero evictâ, contra autorem suum Regressum habet. t. t. C. de rer. comm. al. Schotan. Exam. Jur. p. m. 477. † Is cui servus conductus damnum intulit, adversus locatorem habet regressum l. 60. §. 7. ff. Loc. Sed, si servus iste, dum apud conductorem est, Domino suo locatori damnum intulerit, huic actio in factum quidem competit contra conductorem: (v. g. Vector conduxerat servum Magistri, cui ipsi servus postea furtum fecit. Quanquam autem actione furti Vector Magistro teneatur) regressus tamen Vectori contra ipsum Magistrum competit, ut quicquid huic præstitit ille actione furti, recipiat actione locati, ut est in l. 6. §. 2. Naut. caup. stab. † Mandati fines excedens adversus principalem nullum habet Regressum, nec mandati, nec negotiorum gestorum actione Dn. Schnob. Disp. ad tit. X. ib. 28. §. XXIII. ib. 14. Sicut & vicissim qui ad instantiam proxenetæ contraxit, contra eum non habet Regressum. Proxenetæ quippe nec ut Mandator tenetur, si faciendi nominis causâ intervenerit; ostendit enim magis nomen quàm mandat; utcunq̃ laudet aut philandropi nomine quid acceperit. neque ex locato conducto tenetur; sed si dolo quid fecerit, de dolo actione tenebitur. l. 1. ff. d. proxen. ubi Wesenb. n. 1. ad eumque Dn. Hahn. † Denique Tutor sciens Collegam idoneum non esse, & tamen à Magistratibus datum, si non reddidit eum suspectum, nec ipse exegit satisfactionem, conventus postmodum ex ipsius facto, non habet contra Magistratum Municipalem, ob ita perfunctoriè factam examina-

mina-

minationem, regressum, l. 2. ff. d. Magistr. conveniend. † A- 67
• liquando tamen licet culpæ cujusdam argui possit, Regres- *Limit.*
sus nihilominus contra eum conceditur, cujus dolus fortè
intercessit. Unde creditor, qui pignus furtò amisit per in-
curiam suam, debitori quidem pignoratitiâ directâ tene-
tur, sed Regressum nihilominus habet furti actione. l. 14. §.
6. ff. d. furt. quòd si sine culpa sua amiserit, nec debitori te-
netur, nec consequenter Regressum desiderat, quia eò casu
ipse Dominus agit.

CAP. III.

*Continet causam & fundamentum §. 1. nec non modum
ac formam regrediendi §. 2. Porro Originem atque
Justitiam regressus §. 3. Tum quibus modis obti-
neatur, prolixè §. 4. Ulterius in quib. negociis locum
habeat: It. ad quid competat, sive quid persequatur
§. 5. Denique quamdiu duret: Quibus modis evitetur
& amittatur. §. 6.*

§. I.

Superest, ut de reliquis actionum circumstantiis & requi- 1.
sitis *supr. c. 2. n. 4* recensitis ac promissis ulterius dispi- *Causa*
ciamus. Et quidem primò de FUNDAMENTO Regres-
sus: Quod est factum cujusdam nos in statum noxium de-
ducentis: Id quod ex causa hujus actionis finali & A-
ctoris intentione colligi potest. Quia enim is quod suâ in-
terest petit, adeoque indemnitatem quandam deside-
rat, sequitur: causam impulsivam esse damnum, in quod
factò cujusdam est conjectus. † Generaliter autem fa- 2.
ctum sumo, pro negatione etiam, ut si v. g. debitores post
acceptam à Tutore liberationem pupillo solutionem ne-
gent, & sic in statum damnosum deducant, ut adfuit in l. 57.
pr. ff. d. admin. tut. vel si quilibet debitor à Judice, etiam in-
juriâ, absolutus Creditori solutionem facere detrectet,
tunc adversus Tutorem ac Judicem Regressus competit.
† Quemadmodum autem *cap. 2. n. 6.* duas personas læden- 3.
tes posuimus; ita quoque *b. l.* duo facta fingenda sunt, pro-
D 2 ximum

ximum sive immediatum; & remotum ac mediatum: ut in
 casibus allegatis: Pupillus siquidem & à debitore læditur,
 & à Tutore: Creditores & à debitoribus detrectantibus, &
 à Judice eos absolvente læduntur. *Hoc loco non proximum,*
sed remotum consideramus: & ea ipsa est specifica Regres-
 4. *sus forma, uti aliquoties dicere præoccupavimus. † Fin-*
ge enim (1) Creditori pignus surreptum suâ culpâ: Debitor
actione pignoratitiâ directâ tunc non regredi; sed aggredi
Creditorem dicitur. Nā licet ex furto sit læsus; ex neglig-
tia tamen creditoris illud processit: adeoque debitor non
eum, à quo immediatè damnum processit, nempe furem,
adit; sed Creditorem, qui culpâ suâ huic damno causam
dedit. Creditor verò contra furem furti actione regredi-
 5. *tur. † Rursus (2) finge fullonem qui vestimenta acce-*
perat polienda, ea negligentia suâ amisisse, solvendo au-
tem non existere; certè quia Dominus hoc casu immidia-
tè ex paupertate fullonis damnum accipit, frustra autem
adversus eum locati actionem instituit; adversus furem,
tanquam à quo remotè damnum istud exortum, regressus
 6. *ei integer est reservandus. † Quod si (3) fullo solvendo*
existens à Domino excussus, atque adeò in statum damno-
sifum detrusus sit, contra furem regredietur; quippe qui
delictò suò causam, sed remotam, locatori dedit ad læden-
dum fullonem. Unde repetimus, quòd pro Regressu for-
mando non certæ sint actiones introductæ, sed quælibet di-
recta vel contraria actio habitum ac speciem Regressûs in-
duere queat. Sic furti actio, quæ in primo casu sub quali-
tate Regressûs contra furem à creditore intentatur, in ca-
su secundo à Locatore directò contra furem instituitur; in
casu autem tertio vicissim à fullone adversus furem pro ob-
 7. *tinendo Regressu adhibetur. † Hinc constat, quod cap.*
1. n. 18. nihil his faciat contrarium. Nam dictum quidem,
quòd obligationes in Regressu non solum ex contractibus,
sed ex delictis quoque, veris & quasi, sint oriundæ. Quod
non quadrare videtur cum verbis definitionis: suo jure fecit:
 8. *citra culpam suam. † Verùm enim verò utrumque verum*
 est

est, sine contradictione. Oportet duo facta, & duplicem ad-
esse læsionem, ad hoc ut Regressus propriè dictus locum in-
veniat: nam cæteroquin non Regressus, sed simplex, dire-
ctus ac primus foret Insultus. Immediatum factum sive
læsiò proximè contingens, & hæc citra culpam lædentis re-
gulariter ac ferè semper accidit, adeoque nec simplicem
sive directam, nec retrogradam contra hunc produ-
cit actionem: v. g. adversus verum Dominum rem suam
evincentem nulla omninò actio competit, quantumvis is
emtoem sive possessorem rei immediatè ac proximè in sta-
tum noxium deducat: Ideoque nulla adhuc Regressus na-
tura inibi apparet. † Mediatum autem factum, atque læ- 9.
sio ista remota, Regressum propriè constituit: Eaque à de-
lictis & contractibus præscindit. Nam qui rem alienam
vendit nobis ignorans, non delinquit, attamen quia ejus
intuitu postmodum damnum incurrimus, adversus eum re-
gredimur. Et in exemplis paulò superius allegatis adver-
sus furem, mediante fullonis vel Creditoris negligentia
nos lædentem, regredimur. Ut adeò utrumque verum
sit, & ex contractu, & ex delicto obligationes causam re-
gressui remotam præbere: & nihilominus causam propin-
quam ab injuria esse immunem.

§. 2. His consequens est, modum atque formam re- 10.
grediendi in ipso actionum exercitio consistere, illarum sc. *Modus.*
quæ ad hoc aptæ natæ sunt. Nam licet supra evictum sit,
certum actionis genus ad hoc introductum non esse, sed è
personalium actionum cœtu promiscuè ad hoc adhiberi sole-
re: Illud tamè saltem innuere voluimus, Regressum non esse
novam à cæteris actionibus distinctam, & ex utopia fortè
acceritam actionum progeniem, sed indigenas ac vulga-
res, easque ipsas, quibus & aliàs utimur actiones; saltim
sub certo quodam habitu se præsentantes: sive esse certum
actionum statum, in quo se habent, quando in statum ali-
quem damnosum ab alio deducti, ab alio resarcitionem de-
sideramus: prout exemplis tunc demonstratum est, & in
præsens pauca superaddemus. † Finge quendam habita- 11.
D 3 tione

- cione pro Inquilino excepta domum suam vendidisse; In-
 quilinum verò Emtori damnum intulisse. Hic non Inqui-
 linum, à quo tamen damnum immediatè acceperat, sed
 Venditorem, tanquam Autorem suum, actione emti con-
 venit, in hoc ut officio suo plenè fungatur, domumque ita
 faciat suam, ut sit indemnis. Venditor id, quod præstare
 coactus fuit emtori, non ab eodem vicissim persequitur, sed
 Inquilino imputat, eumque actione locati pulsat, ad hoc,
 12. ut sicut bonum Patremf. decet, habitet. † Nulla hinc no-
 va actio, non novus agendi modus: sed ipsa nota & con-
 sueta locati actio, saltim in statu rariori ac insueto; nempe
 non ad mercedem, quæ in locatione directò intenditur; sed
 ad damnum, non quolibet modo illatum, nam & illud sa-
 ctione in nativo statu se habente persequimur; sed median-
 te emtore, cui nocuerat, resarciendum; idque per quas-
 dam ambages, circuitus & anfractus meavit, per quos a-
 ctio ad emendandum remeare cogitur. vid. l. 13. §. pen. ff. d.
 13. act. emt. † Acturus itaque non adeò erit de actione solli-
 citus: quo genere enim à suo autore dependet, eò ipsum
 aggredietur. Colonus ante perceptionem fructuum non-
 dum est Dominus, quare si quis messem, licet eò inspicien-
 te, sustulit, alienam esse non ignorans, non ab ipso Colono,
 sed à locatore fundi Domino, conveniri potest, qui ad id
 impellitur actione locati. Quando itaque Dominus à Co-
 lono excussus adversus furem regredi parat, de actione sol-
 licitus esse non cogitur, Furti est, ex ipso facto oriunda l. 60.
 §. 5. ff. Loc. ad quam tamen Dominus hòc casu invitus acce-
 14. dit, credens furtum non sibi, sed colono factum. † Simi-
 lis compulsus ad Regressum proponitur in l. 75. §. fin. ff. d.
 15. Leg. 1. vid. supr. c. 2. n. 3. Dn. Schnob. D. ad π. IX. tb. 9. † De
 eo saltim qui repressalia passus, quâ actione regredi queat,
 dubitatur: aliis nullam planè tribuentibus: aliis cessio-
 nem actionum suadentibus: aliis ex lege; aliis ex moribus
 conductionem tribuentibus: quæ non improbabilis fen-
 tentia. vid. Dn. D. Windheim/ in sua de Repressal. Diss. tb. ult.
 16. † Quod si verò Stipulatione in antecessum de futura evi-
 ctione

ctione nobis cavimus', vel aliis prætoriiis remediis de da-
mno infecto cautionem exegimus, longè sumus de genere
actionis securiores; datur enim eo casu ex stipulatu actio.
conf. Magnif. Dn. Struve / Exerc. 27. tb 19.

§. 3. Quod itaque *originem* Regressus attinet, idem ^{17.}
cum ipsis actionibus est; quia illæ ab initio aptæ natæ & fa- ^{Origo.}
ctæ sunt, non solum ad id persequendum quod immediatè
& explicitè intendebatur, quodque directò in ipso nego-
tio continetur; verum & quod ex eo fluit & consequitur,
quodque contrahentes tacitè colligendum reliquerunt;
Atque adeò dum Judex per sententiam alicui reservat Re-
gressum, non novam tribuit actionem, sed talem quæ præ-
senti negotio jam olim à jure civili adæquata & nativa visa
est. † Quod verò ad ejus *justitiam*; primò quidem intuitu ^{18.}
indignum apparet, alium, quàm à quo læsi sumus, ad resar- ^{Justitia.}
citationem impellere, ipsum verò lædentem dimittere. Nam
quemadmodum Judex innocentem condemnans, noxium
verò absolvens abominabilis est coram Deo: Ita actor i-
dem petens, pariter abominandus erit. † Verum Respon- ^{19.}
sio ex paulò antè dictis desumenda; quòd uterque horum
actorem læserit, alter immediatè, verum plerumque citra
injuriam: alter mediatè, & plerumque aliquà suâ culpâ.
Nullatenus ergò absurdus Actor, vel iniquus Judex, qui
missò priori, posteriorem hunc pro emendatione damni ad
partes vocat: non enim ita crudè & materialiter spectan-
dum est, quis damnum corpore intulerit; sed sapius, quis
ejus inferendi autor fuerit. Secus facientes non immeritò
comparamus cani, qui lapidem, quò alius eum petiit, mor-
det, relictò eò qui illum projecit.

§. 4. Sed *quibus*, inquit quis, Regressum *obtinemus* ^{20.}
modis; præprimis adversus eum, qui nobis immediatè da- ^{modi, qui-}
mnum non intulit, atque adeò obligatus non videtur? Ad ^{bus obtine-}
hoc Resp. Varia præstò sunt remedia. Quoniam enim Re- ^{tur,}
gressum personalibus exerceri diximus actionibus; *c. 1. n. 17.*
sequitur, semper præsupponendum esse quendam nobis ob-
ligatum: nempe ex principali quem celebravimus contra-
ctu.

21. *ctu.* † Unde *primarium fontem* Regressus constituimus *Contractus*; *psum CONTRACTUM*, uti ex superioribus clarescit: sic cui resevicta, emti actione adversus venditorem regreditur. Et hic Regressus, propriè loquendo, ac natus dicendus, ex ipso contractu oriundus: si quibus aliis eum obtineamus modis, dativus magis erit: quanquam & illos Definitioni inferere non cessavimus; verbis: *vel quem nobis delegant*; quæ tamen eò quoque trahi possunt, quòd haud rarò is contra quem regredimur, in vicem suam alium nobis deleget. † Age ergò videamus *modos Regressum*, etiam ultrà quàm ex ipso negotio, *obtinendi*. Contingit autem (1) *Stipulatio.* STIPULATIONE ad contractum adjectâ; dum emtor in futurum evictionis eventum, & casum quem metuit, duplum, triplum, vel ultra stipulatur: nam novò sic remediò
23. Regressum sibi præparavit. † Quod tamen magis certæ quantitatis, quàm rei ipsius habendæ causâ fecisse videtur. Res ipsa, Regressus, & persecutio ejus quod interest, ex ipso competeat contractu: saltim quia ejus probatio difficilis est, monitum Imperatoris in *§. f. J. d. V. O.* sequi voluisse videtur, ut in vicem ejus certam quantitatem tanquam pœnam adjiciamus, in quam casu emergente, petitionem nostram dirigere possimus. † (2) *Litis denūciatio.* LITIS quam verus Dominus v. g. emtori rei alienæ movet, DENUNCIATIONE, autori seu venditori facienda, in hoc ut veniat, Reumque, jura & Exceptiones suggerendo, defendat. Quòd si enim vel emanferit autor, vel præsens non defenderit, vel tamen succubuerit, adversus eum Reo victo competit Regressus. Ita Sereniss. Saxon. Elector in nova *Ordin. process. Tit. XIV. vers. Wann aber.* constituit, ut Reus conventus, non apparente denunciatio, nihilominus procedere teneatur, reservatò eidem contra autorem Regressu. † Quemadmodum & Dn. Carpzov. *Process. Tit. IV. a. 3. n. 1. 2. 3.* Autorem, si non defendat denunciante, Regressum adversus se metuere jubet: atque *eodem tit. IV. a. 4. §. 3.* potissimum denunciationis effectum dicit esse Regressum, qui eâ omisâ negetur. Unde & Joh. à Sande *Decis. Fris. Lib. 1. tit. 1. def. 5.*

in f. denunciationem nullatenus omittendam, sollicitè suadet. † Sed enim, si rectè rem perspexerimus, patebit, De- 26,
nunciationem non tam esse noviter acquirendi, quàm po-
tius ex ipso contractu principali competentem regressum,
non amittendi modum. † Succedit (3) ACTIONUM 27.
CESSIO; absque qua si esset, fidejussor à Creditore è reli- *Actionum*
quis selectus, adversus Collegas non haberet regressum; ex *cessio.*
effato Modestini *Lib. 2. regularum, in l. 39. ff. d. Fidej.* huncque
in modum Alexander Imperator Salustio rescripsit in *l. ii.*
C. eod. † Necessariam hanc esse cessionem, inde patet, 28.
quòd Creditor non nisi penitus excussò debitore ad fide-
jussores veniat: Quoniam E. fidejussor adversus Princi-
palem mandati habet Regressum, is tamen in præsens fru-
straneus exinde apparet, quòd nihil apud debitorem exi-
stat residuum; Unde, nisi contra Collegas ipsi redire per-
mittatur, in damno morari eum oportebit. † Hinc, cum 29.
apud Pomponium quæreretur: Si Te rogavero, ut rem me-
am perferas ad Titium, ut is eam servet; isque tuò nomine
receperit, quæ actiones undique competant? hujus Re-
gressus non ignarus, benè putavit, Te primò mihi manda-
ti teneri; Tibi verò Titium Depositi: (nam mihi non potuit
esse obligatus, ut qui meò non receperat nomine) posse au-
tem actionem Depositi mihi adversus Titium cedi; ad quod
Te mandati actione compellere queam. *l. i. §. i. ff. Depos.* † 30.
Imò Africanus *Lib. 7. Question.* collactaneum tractat casum:
Si is apud quem rem deposueris, apud alium eam deponat,
& ille dolò quid admiserit: ob dolum ejus apud quem po-
stea est depositum, eatenus eum apud quem Tu deposueris
teneri, ut actiones suas Tibi præstet. *l. 16. ff. eod.* † Verùm 31.
si & hæc ponderes accuratius, eveniet, illum non regres-
sum esse, quem mediante cessione hâc nanciscor, sed pri-
mum contra secundum depositarium insultum, & directam
quandam, Regressui subordinatam actionem; quippe à
quo nunquam abii, ad eum nec regredi dicar: eò magis,
quòd fidejussor h. l. actionibus Creditoris utitur, quæ con-
tra quemlibet Fidejussorum non nisi directæ & ordinariæ

E

ex

32. ex stipulatu competunt. † Responderi equidem potest: Regressum h. l. non tam ratione subjecti sive personæ, ad quam post discessum revertamur; quam ratione statûs integri, ad quem reponimur, denominari. Deinde quoties damnum ab alio acceptum rursus alii imputamus, Regressus vocari potest: atqui & hęc locõ damnum à primo depositario, per suam apud alium depositionem, acceptum secundo depositario imputamus, E. verus Regressus erit. †
33. Sed enim utut hęc omnia ad verum Regressum requirantur, sufficere tamen non videntur. Sed insuper, *ut supra* propositum, ut (1) duæ adsint personæ lædentes, mediatè & immediatè. (2) ut non hunc, sed illum aggrediamur. Jam si hęc ad præsentia applicentur, deprehendimus, reliquos fidejussores nequaquam causam moralem læsionis esse, sive quòd unus ex illis præ reliquis à creditore electus & excusatus sit; sed debitorem, ejusque indigentiam; nulla enim inter confidejssores dependentia, nullus contractus, nulla autoritas, nullum factum aut culpa. † Quamquam autem actio hęc directa omninò sit, nec Regressus naturam ac nomen in rigoroso examine defendere ac sustinere queat; quia tamen in vim Regressus à creditore tribuitur, & inutili illi, quæ sub vero regressus schemate ex mandato adversus principalem debitorem competere debebat, surrogatur, toleranda videtur in hoc cœtu. † Sed utrum ita indistinctè & absolutè actionum cessio sit indulgenda? non immeritò dubitatur: præprimis quando Reus conventus rem controversam culpâ ac dolo possidere desit. Annon fortius dicendum, debere eum propriam culpam vel fraudem luere? quia rem non tam auctoris sui, quam propriõ factõ amisit. † Excelsi ingenii Vir Papinianus *Lib. XII Q. 27.* distinguit, ut si quidem culpâ quis possessionem amiserit, audiendus sit, si hoc desideret, à iudice *l. 63. ff. d. R. V. Quod ff. de R. V.* si dolò possidere desit, Pomponius *Lib. 29. ad Sabinum* supplet, eum vel hęc nomine puniendum, ut actor de ceden-
dis sive præstandis aut exhibendis actionibus ipsi cavere
37. non teneatur. *l. 69. ff. eod.* † Quibus tamen Marcellus
Libro

*Lib. 4. fforum obloqui videtur, quando in l. 12. ff. de re jud. l. 12. ff. de re
de moribus in contrarium obtinentibus testatur: solere jud.
damnatis succurri. Gothofredus ibid. aliorum conciliatio-
bus neglectis, refert d. l. 69. ad jus strictum; sed d. l. 12. ad
æquitatem; propter verbum: SUCCURRENDI. Non ta-
men ita præcisè prætereunda videbatur resolutio Pacii,
quam habet in suis *Evavrio* *Cent. III. q. 48.* quem sequitur
quoque Paulus Busius *Comm. Pand. ad d. l. 63. p. m. 295.* & Pe-
trus de Greve *Comm. Pand. ad d. l. 12. p. m. 563.* † Num i- 38.
dem efficit (4) PROTESTATIO? quippe cujus finis & *Protestatio.*
effectus cardinalis & primarius est, conservatio juris. Un-
de vulgatissima theoricæ ab omnibus probata: protestatio
conservat jus protestantis illæsum. vid. Magnif. Dn. Richter
p. 1. Decis. XV. n. 34. quæ colligitur ex *l. 4. §. 1. ibi: salvâ causâ*
pignoris sui. ff. quib. mod. pign. solv. † Sic alicui poterat vi- 39.
deri: quia qui cadaver alienum curat sepeliendum, bene-
ficiô protestationis, de animo sumtûs repetendi, regres-
sum per funerariam negotiorum gestorum actionem sibi sal-
vare dicitur, in *l. 14. §. 7. in f. ff. d. Relig. & sumt. fun.* Et
quanquam Regressus personalibus tantum actionibus ex-
pediatur, protestatio autem omnia realia æque atque per-
sonalia servat jura; His tamen reponendum videtur, non
confestim exinde sequi, quasi regressus etiam actionibus re-
alibus exerceatur. Nam aliud est modus Regressum ac-
quirendi; aliud verò eundem expediendi. Cùm itaque
protestatio & personales quoque conservat actiones, ideo-
que vel eatenus causis habendi regressum accensenda vide-
tur. † Verùm movemur fermè in contrarium; ex eo, 40
quòd protestatio non tam regressum tribuat, quàm ipsissi-
mum progressum servet; hoc est, quemlibet in pristino re-
linquat statu, quò nihil amittit, adeoque nullâ recupera-
tione indiget: cùm omnis regressus post vulneratam cau-
sam quærat remedium. † Quicquid horum sit, sicut non 41.
omnis persecutio juris nostri regressûs nomine venit; ita
non confestim negari potest regressum esse, ubi consueta,
ordinaria & directa instituitur actio. Nam supra docui-
mus,*

mus', Regressum non peregrinis, sed vulgaribus exerceri actionibus, in certo saltim habitu tunc subsistentibus; Ita, ut quandoque actiones directæ sint, & illud ipsum, quod explicitè inter partes placuit, persequantur: quandoque verò sub specie Regressus lateant, vel adhibeantur ad persequendū id, quod nō nisi indirectè & cōsequenter partes cogitasse præsumuntur. Quemadmodum E. hæc duo actionibus insunt, *vid. c. 2. n. 24.* ita nihil impedit, quominus, si eas mediāte protestatione nobis conservamus, suā quoq; tunc retineant naturā, ac pro substratā materiā, siq; res exigat, & formam Regressus referant. † Unde præsentator & possessor Cambii, si acceptans non solvat, pro obtinendo regressu adversus mandantem sive retrahentem, tenetur intra fatalia protestari: eō omisso, perimitur obligatio mandantis, nullō adversus eum dando regressu; quòd si protestetur possessor, mandans principalis tenetur restituere pecuniam cum interesse. Dn. Marquard. *Tr. d. jur. commerc. sing. Lib. 2. c. 12. n. 51. & 86.* Si acceptans post receptam semel in se conditionem solvendi, foro postmodum cedat, Regressus contra mandantem non datur. *n. 76.* † Sic, qui navem alterius nomine conducit, tenetur stare in loco contractus sive factæ conductionis, licet suus principalis alibi degat, alibi verò mandatarius contraxerit. Nec juvatur conductor, si protestatus sit atque expresserit, quod alieno nomine contrahat. Prodest tamen protestatio ad hoc, ut habeat contra suum principalem Regressum. Idem *L. 2. c. 20. l. 5. §. 2. in f. n. 59.* † Juliani quidem error fuit, non nisi directam actionibus inesse obligationem, cui si sit satisfactum, nihil ex contractu sit reliquum, ad quod venditor vel permutator sit obstrictus; unde & propter defectum civilis actionis, prætoriam esse dandam fuit opinatus. † Verum in eo rectè à Mauritiano reprehensus, qui civilem & hoc casu competere statuit, propter retrogradam venditoris obligationem, in ipso quoque contractu latentem. V. c. ut tuum manumittas servum, tibi dedi meum, qui postmodum, tuo jam manu-

l. 5. §. 2. in f. n. 59. ff. de prescr. verb.

manumissō, & sic re non amplius integrā, tibi fuit evictus:
quæritur an & quā actione adversus me habeas Regressum?
† Julianus credidit, si dolō fecerim, doli actionem compe- 46.
tere; referente Paulō in *l. 5. §. 2. inf. ff. d. prescr. verb. ā* qua
sententia nec Ulpianus abiit *l. 15. ff. eod.* quōd si ignorans fe- *l. 15. ff. eod.*
cerim, civilem præscriptis verbis ex innominato dō ut faci-
as contractū actionem non subesse, Idem Julianus est arbi-
tratus; propterea quōd omnis actio ex contractu compe-
tens tendat in id, ut contractus impleatur: Jam verò ego
met jam tum dederim, Tu jam tum manumiseris, & sic con-
tractui undiquaq; satisfactum, consequenter ab eo per im-
plementum discessum, atque adeò distractus magis quā
contractus sit; ut non nisi ineptè actione ex contractu illo
utamur, ad quem implendum nihil supersit. † Verūm 47.
Mauritianus benè contrarium putat, contractum non so-
lūm antrorsum operari, directō, ad progrediendum, ad
simpliciter & quasi materialiter dandum, sive ad nudum fa-
ctum, naturaliter; sed moraliter etiam, ut plenè detur, ut
res cum causa tradatur, ut plenè fiat accipientis, utque si
hoc factum nō fuerit, post rem evictam emtori vel accipienti
adversus autorem suum liceat regredi: id quod in conse-
quentiam saltim fuit & indirectè, ac quibusdam præsuppo-
sitis; in contractu tamen & obligatione latet, eaque pro-
pter casu eveniente, civili actione ex ipso contractu oriun-
dā experiri omninō licet, juxta laudatum Mauritianum,
quem Ulpianus quoque in *l. 7. §. 2. ff. d. Pact.* refert, probat *l. 7. §. 2. ff. de*
& sequitur. † (5) Denique specialiter jure Saxon. GUA- *Pact.*
RANDA, modus Regressum præparandi, existit: dum a- 48.
ctor eam Reo super litis evictione præstare obstrictus est: *Guaranda.*
Inter alios enim & hic effectus ejus est, ut Reum, si is postea
ejusdem causæ nomine ab alio conveniatur, in judicio de-
fendere & conseq. si succumbat, indemnem præstare tenea-
tur Actor. *Sandr. L. 2. a. 15. Dn. Carpz. p. 1. C. 4. d. 1. n. 3.*

§. 5. Pergimus ad causam materialem, quæ est vel in 49.
qua, sive subjectum; vel circa quam sive objectum. Quibus *In quibus ne*
in negotiis Regressus eveniat, pariter ex anterioribus elu- *gotiis regres-*
cescit. *sus obtinet.*

cescit. *l. 2. n. 26.* Videlicet, ubi intuitu, factò vel culpâ cu-
 jusdam noxia conditio nobis superinducta, quæ nec pati-
 enti nec inferenti potest imputari. Ubi autoritas, vel de-
 pendentia quædam intercedit, ubi ad evictionem præstan-
 dam præstò est obligatio; & in universum, in quibus alter
 50. cum alterius jactura locupletaretur. † Quapropter in o-
Regressus & omni evictionis præstatione latet Regressus; nam quicumque
Evictio dif- de evictione præstanda sollicitatur, is Regressu inquietatur:
ferunt. sed non versâ vice, adversus quemcunque regredimur, is
 præcisè de evictione præstanda exagitur: quia evictio
 fermè in solâ emtione locum invenit, Regressus verò in lo-
 catione, mandato, deposito, tutela, aliisque negociis: Ut
 adeò invertere non liceat: in omni evictione contingit
 regressus, E. in omni regressu est evictio. Nam hæc vi vo-
 cis importat, ut autor rem emtori evictam refarciat; adeo-
 que ad solam fermè emtione, fortassis & permutationem,
 sit restricta: Regressus verò amplioribus finibus continea-
 51. tur. † De contractu pignoris non inelegans est quæstio a-
In materia apud Paulum Jctum in *l. 59. §. 4. ff. Mandat.* Ubi tractatur:
Pignorum. Utrum Creditor, qui pignus vendidit, quod postea emtori
l. 59. §. 4. ff. fuit evictum, ac propterea Regressum contra creditorem
Mand. instituit emtor, vicissim contra debitorem regredi possit?
l. 22. §. f. ff. & disting. utrum tanquam Creditor, an jure communi ven-
de Pign. act. diderit. † Ut priori casu, nisi expressè de evictione re-
 52. promiserit, aut dolò malò, sciens prudensque rem sine vi-
 tio non esse, vendiderit, de evictione non teneatur. *l. l. C.*
Creditorem evict. pign. non deb. Sequitur E. nec Regressu eum
 contra debitorem indigere. Sin evictionem promisit, Re-
 gressum habebit: quòd si nullum emolumentum talis ven-
 ditio attulit debitori, sed tanti Creditor venderet, quanti
 vendere potuit, etiamsi hæc non promisit, Regressum non
 habere Ulpianus ait in *l. 22. §. f. ff. d. pign. act.* vid. B. Franzk.
 53. *d. Evict. n. 216. seqq.* † Potissimum tamen in emtionibus
Emptionum Regressus obtinet; sed nec ibi perpetuò. Nam in emtio-
 ne spei nulla evictionis præstatio, & consequenter nullus
 Regressus *l. 8. §. 1. ff. d. contrab. emt.* per rationem, quia id a-
 ctum

Etum intelligitur, h. e. ut ego quidem credo, quòd partes
inibi tacitè hanc obligationem remiserint. Idque fortas-
sis ex natura negotii, & propter rei incertitudinem. Qui-
bus aliis casibus emtor non habeat regressum, vid. Schotan.
Exam jur. p. m. 140. Friderich. Process. p. m. 107. & Dn Carpz.
Process. Tit. 4. a. 4. per tot. † De permutatione certant Dd. 54.
utrum evictioni (& consequenter Regressui) sit locus? du- *Permuta-*
bitandi ratio est, quòd ea non admittat res alienas, atque *tionum.*
adeò præstatione evictionis non habeat opus. In tantum,
ut quando res aliena sit tradita, statim ad interesse possit
agi, etiamsi res nondum fuerit evicta; & sic citra Regressus
speciem actione rectâ, non retrogradâ; perinde ut & mu-
tuum datâ alienâ pecuniâ sit nullum: quam in rem adduci- 55.
tur *l. 1. §. 3. ff. d. rer. permut.* † Alii contrâ, & res alienas, *l. 1. §. 3. ff. de*
& usucapionem, & evictionem in permutatione admittunt, *rer. permut.*
per *l. 4. §. 17. ff. de usucap. & l. 1. C. d. rer. permut. Merrill. 1. var. 56.*
28. † Et ad *d. l. 1. §. 3.* Respondent, loqui de casu, quò ac-
cipiens rescivit esse alienam, & propterea noluit rem suam
vicissim dare: ubi, qui primus dedit, non habet actionem
præscriptis verbis, ad implendum contractum, sed condi-
tionem ob causam dati, ad recipiendum quod dedit. Ma-
gnif. Dn. Strauch. *Exerc. Justin. 16. apb. 4.* in qua sententia
quoque fuit B. Ludvvel. Et Magnif. Dn. Struve/ *Exerc. 27.*
tb. 16. evictionis præstationem in aliis quoque titulis onero-
sis emtioni affinibus receptam statuens, primò locò ponit
permutationem aliosque contractus innominatos, quibus 57.
res in alium transfertur. † Quòd in locatione regressus *Locationũ.*
detur, vel inde patet, quòd locator rem locatam ante fini-
tum contractum vendens, in quantum rei Dominus est, id
facere quidem non prohibeatur; quia quilibet est rerum
suarum moderator & arbiter, & teneatur quoque condu-
ctor cedere; sed regressum nihilominus habeat contra Lo-
catorum ad interesse. vid. Magnif. Dn. Struve *Ex. 24. tb. 27.* 58.
† De mandato dubium vix esse videtur. Nam fidejussor *Mandati.*
pro debitore vel mandante *l. 20. §. 1. ff. mand.* vel patiente
saltem *l. 6. §. 2. l. 18. ff. l. 6. C. eod.* solvens, mandati habet re- 59
gressum *l. 10. §. 1. ff. mand. §. 6. J. d. fidej.* † Sed, ad manda-
tum

rum alterius delinquens, regressum pro multa, quam pen-
dere coactus fuit, recuperanda, adversus mandantem

60. non habet §. 7. *J. mand. l. 22. §. 6. ff. eod.* † In tan-
tum autem mandatum rei inhonestæ nullam parit actio-
nem, ut quamvis nihil flagitiosi habeat, nullus inde regres-
sus nascatur. Veluti si adolescens luxuriosus mandet Ti-
bi, ut pro meretrice fidejubeas, & tu sciens mandatum su-
sceperis; vel ut meretrici credas pecuniam; quia simile est
ac si perdituro credideris, & adversus bonam fidem *l. 12. §.*

Dotium. 61 *11. ff. mand. l. 8. pr. pro emt.* † An & quatenus in causis
dotium regressus locum habeat, vid. *l. 1. C. d. jur. dot. B.*
Franzk. d. eviction. n. 521. seqq. & Magnif. Dn. *Struve Exerc.*

62 *30. th. 10.* † De donationibus jam supra dictum. add. Idem
Donationū. Dn. *Struve Ex. 27. th. 17. B. Franzk. d. evict. n. 422. seqq.* †

63. Denique in jactu missilium nulla evictio, nullus Regressus
Jactus mis- *l. 8. §. 1. ff. d. contrab. emt.* † Objectum Regressus nostri in-
silium. telligitur ex causa ejus impulsiva & finali. Dum enim cum

64 *Objectum.* tadio moramur in damno so statu, ex eo que liberationem
desideramus, idque indemnitate nobis præstita quidem
contingit, sed vel naturaliter obtineri vix potest, quod res
non amplius sit integra; vel utcunque obtineri possit, a-
ctoris tamen nunc aliud quid accipere interfit, hinc appa-
ret, regredientem pro objecto habere rō interesse, in quo
reponit suam indemnitate, si non naturaliter in rei veri-
tate, tamen in genere morum, imputativè, per quandam

65 compensationem, in æquivalente. † Illud est quod supra
diximus, emtorem cui res à vero Domino evicta est, non e-
am ipsam à venditore suo recipere, sed id quod suā inter-
est; & conductorem maturius ab emtore expulsus, non i-
psam à Locatore habitationem recuperare, sed interesse;
quō obtentō, indemnes esse creduntur, perinde ac si rem
emtam vel habitationem adhuc tenerent.

66 *Quamdiu* §. 6. Sequitur ut dispiciamus de reliquis hūc spe-
dum. ctantibus requisitis; & quidem (1) *Intra quod nam tempus*
quærendus sit regressus? seu quamdiu actori facultas ad-
versus autorem regrediendi pateat? Et quoniam antè di-
ctum

Etum, regressum consuetis exerceri actionibus, patet, tam-
diu eum competere, quamdiu durant actiones, quibus ille
est expediendus. † Hinc quia actio æstimatoria sive quan- 67.
to minoris unicô saltim annô ; Quin redhibitoria sex men-
sibus saltim durat, Dn. *Struve Exerc. 37. lb. ii.* sequitur,
quod Regressum instituturus intra istud tempus actionem
movere debeat, & ante spacium istud elapsum ; cæteroquin
simile cum Penthilio responsum laturus, cui Imp. Gordia-
nus in hæc verba rescripsit : Cùm proponas, servum quem
pridem comparasti, post anni tempus fugisse : quâ ratione
eô nomine cum venditore ejusdem congrédi quæras, non
possum animadvertere. Etenim redhibitoriam actionem
sex mensium temporibus, vel quanto minoris annô conclu-
di, manifesti juris est *l. 2. C. d. Ædilit. action.* † (2) Quibus 68.
remediis Reus Regressum adversus se *declinare vel evitare* Evitatur
queat ? Hûc referimus, 1. *Defensionem* ejus, qui si conde- Defensione
mnaretur, cõtra nos habiturus esset Regressum: de quo plu-
ra supra de Denunciatione. Hoc saltim addere lubet,
quòd mulier defendens eum, qui victus contra illam habe-
ret Regressum, non dicatur pro eò intercedere, & conse-
quenter ad SCtum Vellej. confugere prohibeatur ; quia
causam agit propriam *l. 3. ff. ad SCt. Vellej. l. 2. C. si mat. in-*
demn. promis. † 2. *Actionum cessionem.* Nam si dedi Titio 69.
rem meam perferendam ad Cajum, qui eam custodiat: con- Actionum
tra Titium ex mandato ago: Is contra Cajum depositi Re- cessione,
gressum habet. Sed potest mihi cedere actionem, & sic à
Regressu, quin ipsô primô insultu se liberare *l. 1. §. ii. ff. de-*
pos. Similiter & quando Depositarius apud alium depo-
suit, cessione actionum adversus secundum depositarium
potest se ab impetitione mea, & conseq. regrediendi neces-
sitate, eximere *l. 16. ff. eod.* Ad hujus imitationem puto,
Minorem mutuô accipientem, eamque pecuniam rursus a-
lii concedentem, non conveniri ut solvat, & regressum
contra debitorem suum sumat; sed liberare se à Regressu
per cessionem suæ actionis contra secundum debitorem
posse. † Denique 3. *Exceptionem.* Nam qui causam 70.
suam

F

suam



- Exceptione.* suam habet salvam, non indiget Regressu, quippe qui sal-
tim damnum reparat: E. qui damnum potest præcavere,
reparatione non indigebit: Melius enim est prævenire,
71. quàm post vulneratam causam remedium quærere. † Sic
Qr. An qui prædium Minoris sine Decreto emit, cõ revo-
catõ pretium per actionem, & ita per regressum & recon-
ventionem à minore consequi teneatur? juxta brocardi-
cum: Solve & repete. Ita quidem videtur, propter ver-
bum CONVENIRI l. 10. C. d. prad. Min. Melius tamen re-
72. medium est in l. 16. eod. Exceptio doli. † A parte Actoris
Amittitur. Regressus cessat, amittiturque quoties culpa vel dolus ipsi
potest imputari, v. g. Nauta merces ex vano naufragii metu
projiciens ipse tenetur, E. Exercitor à Vectoribus reliquis
dimissus ad hunc habet Regressum: ipse verò contra nemi-
nem, Dn. Marquard. Tr. d. Jur. commerc. sing. L. 2. c. 13. n. 58.
& Magister ex sua culpa conventus de suo solvit sine re-
73. gressu. Idem d. l. 2. c. 10. n. 18. † Si nulla necessitate com-
promisero, & contra me reddita fuerit sententia, non ha-
beo Regressum adversus Venditorem l. 56. §. 1. d. edil. edict.
74. add. B. Ungepaup. Comm. Decretal. d. Arbitr. n. 55. & seqq. †
Quin toties cessat Regressus, quoties & evictio. vid. Perez.
C. d. evict. n. 19. seqq.

T A N T U M!
DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.

COROLLARIA.

I.

CRuentatio hominis interfecti presente cadis suspectio, indicium
ad Torturam sufficiens non præbet.

II. Idem dicendum de probatione per aquam frigidam, si in
eam abjecta maleficii Rea non submergatur.

III. Furiosus ob homicidium ante furorem commissum, du-
rante furore corporaliter puniri non potest.

IV. Dormiens si quem interficiat, non modò ab homicidii
ordinariâ, sed & omni aliâ pænâ liber est.

Jure

Jure peritorum doctos trivisse libellos
Te juvat: id scriptum monstrat, *Amice*, tuum.
Maeste bonis coeptis. Præclaros namque labores
Et doctum semper dona sequuntur opus.

Honoris & benevolentie

ergo f.

Johannes Christophorus Falckner/
J. U. D. & Prof. Publ.

Navita cum puppi rabidi per murmura venti
quassus, per nimbos, tempestatesque sonoras
Alta maris liquisse cupit, regredi que precatur:
Sic labor hicce Tuus, STAFFHORST, per jura regressum
monstrat, ut incauti damno serventur ab omni.
Ulterius pergas! laudes plaususque manebunt.

*Quod boni ominis ergò Pereximio atque Pra-
stantissimo DN. RESPONENTI, Disputationis
hujus AUCTORI doctissimo, cum multo salutis
applausu, apponere volui*

Adrianus Beier, D.

Politisimo atque Eruditissimo

DN. CHRISTOPHORO Staffhorst

ad

Solidiorem Jurisprudentiam per Philosopho-
rum & Jctorum volumina conatu
felicissimo grassanti,

FAUTORI ET AMICO MEO COLENDISSIMO

S.

L'OMBRAGE SUIT LE CORPS; LA GLOIRE LA VERTU;
ET VOUS, MONSIEUR, L'HONNEUR, QUI VOUS EST TOUJOURS
DEU.

M. Jo. Andr. Schaidlinus
Augustâ-Vindelicus.

Quô

Quô pactô â damnis immunes esse queamus
Dum doctè exponis, *dulcis Amice*, probo.
En! certè evenient Tibi contrà commoda multa,
Commoda quæ Themidos porrigit alma manus.
Perdus & pernox nam volvens atque revolvens
Dogmata Musarum, nil nisi lucra capit.
Maeste Tuis studiis, nec non solertius instes!
Sic indemnis eris, gratus & hinc Patriæ.

Ita festinanter faVtor **DULCIS**IMO
gratulab.

Joh. VVilhelm. Bruning,
Osnabr.

CHRISTOPHORUS STAVHORST, DISSENA-VVESTPHALIS.

ἀναγγελματικῶς :

SUDAS? HEÏC PORTUS PENUS; HAS TULIT HORTUS ROSAS.


Siccine nauta ferox gelidis aquilonibus actus,
Oceanumque secans fulva metalla capit?
Heu! Pater Arcitenens sic pectora nostra fatigat,
Nî sudor manat, nil magis Irus habet.


Quid igitur STAFFHORST SUDAS? HEÏC PORTUS Athenis
Immensi Juris contulit omne PENUS,
HAS TULIT hic HORTUSQUE ROSAS, sin utitur istis
Quilibet indemnis, Tu quoque clarus eris.


*Paucula hæc Commensali & Amico suo melli-
tissimo adponere voluit, debuit*


Johannes Vogt/ Lunæburg.

FINIS.









00 A 6455

ULB Halle


3

002 929 236



W17







DISSERTATIO JURIDICA 35.
De
REGRESSU
INDEMNITATIS

Quam
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
SENSU & AUTORITATE
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JENENSIS,

PRÆSIDE
Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo
DN. ADRIANO BEIERO,
J.U.D. celeberrimo, &c.

Præceptore & Patrono suo omni observantiâ
prosequendo,

In Auditorio Ictorum
ad diem 30. Sept.

Examini publico submittit

CHRISTOPHORUS Staffhorst/
Dissenâ - Osnabr.

JENÆ,
Literis JOHANNIS VVERTHERI,
cb. bc LXV.